







23

31

AVSPICIS  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII, DOMINI

**DN. FRIDERICI AVGVSTI**

ELECT. SAX. HERED.

DISSERTATIONEM IVRIDICAM

DE

**I U R E**

CIRCA

**HONORES SENATORIOS,**

**SENATIBVS**

IN GENERE, SPECIATIMQVE

**HEXAPOLITANIS**

COMPETENTE,

*PRÆSIDE*

**IO. BALTHASARE WERNHERO, D.**

POTENTISSIMO POLON. REGI ET ELECTORI SAX. A CONSIL. AV-  
LAE ET IVSTITIAE, COD. P. P. CVR. PROV. CONSIST. ECCL.

SCABINATVS ET FACVLTAT. IVRID. ASSESSORE,

**IN ACADEMIA VITEBERGENSI**

D. DECEMBR. MDCCXVI.

IN AVDITORIO ICTORVM,  
PVBLICAE VENTILATIONI SVBICIET

AVTOR-RESPONDENS,

**CAROLVS GVILELM. LIMMER,**

LOEBAV. HEXAPOL.

VITEBERGAE,

LITERIS SAMVELIS CREV SIGII

xl.



*SPLENDIDISSIMARVM ET FLORENTISSIMARVM  
CIVITATVM*

**G O R L I C E N S I S  
Z I T T A V I E N S I S <sup>ET</sup>  
L O E B A V I E N S I S**

**DNN. CONSVLIBVS  
SYNDICIS  
PRAETORIBVS  
SCABINIS <sup>ET</sup>  
SENATORIBVS**

*V I R I S*

*STIRPE ET VIRTUTE*

**ILLVSTRIBVS MAGNIFICIS EXCELLENTIS-  
SIMIS PRAENOBILISSIMIS AMPLISSIMIS  
CONSULTISSIMIS**

**DOMINIS PATRONIS ET STVDIORVM PARITER  
ATQVE FORTVNAE AMPLIFICATORIBVS MA-  
XIMIS RELIGIOSO MENTIS CVLTV  
VENERANDIS**

**HOC QVICQVID EST OPERAE  
DEMISSE OFFERT SANCTISSIME DICAT EODEMQUE  
ILLORVM PATROCINIO ATQVE FAVORI  
SE SVAQVE STVDIA  
QVAM POTEST ENIXISSIME**

*COMMENDAT*

**CAROLVS GVILELM. LIMMER.**





I.



A multorum animos superstitio invasit, ut nefas esse arbitrentur, nisi exposita prius rubrica, in rem praesentem venire, et, omisso verborum cortice, ipsum argumentum, cuius tractatio suscepta est, aggredi. Quae illorum haeresis sicuti merito damnanda est, ubi de vocabulis inaniter disceptant, et multiplici labore, plerumque frigido, Lectori remoram iniiciunt, *vid. LVDOV. d. ICto sine Leg. loqu. S. 6.* ita nemo, nisi forte iniquus rerum existimator, et arbiter, facile negabit, evenire quandoque posse, ut vocum expositio vel necessaria sit, vel saltem ad multas difficultates tollendas faciat.

II.

Itaque et mihi, qui Academicum specimen publice edere, animum induxeram, perpendendum erat: Quae rubricae conditio, quae vocum analogia, quae demum obscuritas; His enim perspectis, iudicare demum me oportebat, an e re foret, circa terminos aliquantulum haerere, an, quod res erat, statim tractare. Et, meo quidem iudicio, Onomatologia superfedere, et statim ipsum tractationis limen ingredi poteram, nisi quod fere circa integram rubricam quaedam necessario praemonenda viderentur. Quae nunc, sine



verborum circuitu, in medium afferam. Pandent ea, spero, viam, ad accuratam rei intelligentiam, et modo frictiorem, modo laxiorem, vocum acceptionem.

III.

Initio vocabulum *Iuris* occurrit; cuius varia significatio in vulgus nota est; ut hinc illi fusius explicando immorari nolim. Nam et Dupondius quisque facile intelligit, vocem illam h. l. notare *facultatem moralem, hoc vel illo modo, statuendi.*

IV.

Quid autem *honorum* appellatione nobis veniat, aliquanto fusius explicari, operae pretium fuerit. Hoc enim ad uniuersum argumentum, in quo versamur, illustrandum magnopere faciet; multisque difficultatibus praecidendis apertam nobis viam monstrabit. Quocirca distincte investigabo, quid *honorum* vocabulo, et Romano iure, et nostris moribus, contineatur.

V.

Notum vero est ex *tit. ff. et C. d. Muner. et Honor.* quod *honores* a *muneribus* distinguantur, et speciem ab illis diversam constituent, *L. 9. ff. de Mun. et Honor.* ita, ut *munus* generis nomen retinens cum onere semper coniunctum, et sine Dignitatis gradu, sit; *L. 18. ff. de V. S.* ibique *CORVIN* voce: *onus. honos* e contrario fit administratio Reipublicae cum Dignitatis gradu. *vid. omnino L. 14. ff. eod.* Alias dissimilitudines et differentias muneris atque honoris *vid. in L. 10. §. 2. eod. ibique GODOFR. lit. a.*

VI.

Iam cave, putes, hanc ab ipsa rerum indole petitam distinctionem usum fori Germanici non admittere; forte, quia in illis, quae statum publicum concernunt, parum commode ducantur argumenta ex *pri-  
stina*



stina Reip. Rom. forma. ZIEGL. de I. M. p. 117. Enimvero sicuti lubens concedo, in illis, quae faciem Reipubl. nostrae Romano-Germanicae concernunt, ad LL. Romanas, speciatimque postremos *Codicis* libros, inepte recurri; ut contra TABOREM olim CONRINGIVS praecclare ostendit; ita in aliis negotiis atque causis, quo et praefens argumentum refero, utiliter Leges Rom. adhiberi, puto, quoties non aperte a Germanorum moribus abhorrent. Qui enim in Imperio nostro Lege nititur Iustiniana, observantiam non probat, et tamen causam habet fundatam, LAVTERB. *Concl. Forens. Exerc. 1. th. 1. et ibi. cit. Autt.* quatenus contrariae Leges, vel consuetudines patriae, huic Iuri, in subsidium recepto, non obfistunt; quales tamen in ea, in qua versamur, causa hactenus uniuersaliter, siue latas esse, siue usu invaluisse, affirmare vix quisquam ausus fuerit; Quod et insignes effectus, quos hodiernum honorata munera, prae illis inhonoratis, ut vulgo audiunt, produciunt, de quibus in sequentibus ex instituto agemus, luculenter evincunt.

VII.

Equidem hanc meam sententiam, ratione stipatam, infringere videri poterat BRVNNEMANNI autoritas, qui in *L. un. C. de Infam. n. 5.* contendit, quod nostris moribus muneri semper dignitas inesse videatur, vilius exceptis, et plane contemptis. Verum enim vero praeterquam, quod vox ista: *videatur*, sit ambigens, tanti hoc morum testimonium non facio, quin adhuc Iuris communis dispositioni insistam, idque eo magis, cum adhuc hodie, obveniente casu, Collegia Iuridica fecundum eam respondere, animadvertere liceat, in *ILL. BERGER. Occ. Iur. p. 60. et Dn. PRAES. P. 1. Obsf. 179.*



VIII.

Quando de Iure, circa Honores *Senatorios*, differere constitui, eo vocabulo non innuo illa tantum iura, quae toti Senatui in solos Senatores, strictiori significato tales, competunt; sed sub eo, latius sumto, complector ius, quo totus Senatus, in totum Senatum, h. e. Consules non minus, ac caetera Collegii membra, gaudet.

IX.

Sed et voce *Senatus* studio usus sum, atque a vocabulo *Magistratus* abstinui. Huic enim, qua tali, iura, de quibus laboro, haudquaquam competunt. Neque ad rem facit, quod Senatus plerumque simul Iurisdictionem, si non Criminalem, minimum tamen Civilem, exercent; cuius quidem causa uel maxime *Magistratus* audire debebant. Nam hic regerere licet, universaliter id uerum non esse, meque Subiecti qualitates naturales, non item accidentales, respicere.

X.

Constat autem inter omnes, *Senatum*, qua talem, non venire nomine *Magistratus*. *ARIST. L. 1. Polit. c. 13.* quippe qui Iurisdictioni praeficitur, ut copiosius tradit *CVIAC. Parat. ad t. ff. de O. et I. et ad l. reddendum, de causis publicis et privatis, constituitur. L. 1. ff. de Off. ei. cui mand. L. 6. §. 1. de Tutel. L. pen. ff. de I. et I. L. 12. d. LL. L. 57. de V. S. CALVIN. Lex. iur. voc. Magistrat.* At uero *Senatus* ordinem certum significat, *uid. L. 10. ff. de Nupt. et Dd. ad tit. ff. de Senat.* qui munere, non Iuris dicundi, sed de Republica consultandi, eamque recte regendi, gaudet. *ZAMOSC. de Sen. Rom. L. 1. p. 53. seq.*

XI.

Constat etiam, hodieque, constanti usu, inter *Magistratum*, et *Senarum Oppidanum*, discrimen seruari.  
Non



Non enim defunt exempla, in his ipsis terris Saxonicis, hanc in rem varia. Dantur Collegia Senatoria, quibus ne minima quidem Ictiois particula in suos Cives competit; Dantur et alia, quae eiusdem hanc, vel illam, speciem exercent, non tamen proprio nomine, sed Locationis Cond. iure. Exempla *vid. in TITII Iure Priv. L. 8. c. 10. §. 24. ibique cit. CARPZ. L. 5. p. 15.*

XII.

Constat, denique, Hexapolitanis Senatibus initio, aut plane nullam, aut sane restrictam, nec in solidum, Ictioem competiisse, quia de alia maiori eorundem potestate, circa ius litigantibus dicendum, liquido non constat. Fungebantur enim iuris dicendi munere, quoad Nobiles, Regii Iudices, *die Land = Richter / Land = Bdgte /* in suae quisque Civitatis Dioecesi, et, respectu Civium, Statuti sive hereditarii iudices; utrique tamen sibi, cum pro Tribunali sederent, certos Deputatos Senatorios assidere, ob causas civili ratione non carentes, patiebantur. *vid. Dn. CARPZ. Anal. Zittav. P. II. c. 2. §. 2. 3. Senatus autem, tanquam Concilium, totam Civitatem repraesentans, pro varia Civium communione, nunc negotiorum explicandorum, nunc consensus rebus gerendis accommodandi causa, conveniebat. vid. MEY. P. III. Dec. 228. n. 2. CONRING. de Urb. Germ. lib. 75. Sed, tempore procedente, Senatus Oppidani quoque Magistratum gerere coeperunt, eorumque muneri Senatorio facultas, in causis, per provocationem a Iudicum Decretis ad ipsos devolutis, cognoscendi, ac crevit. vid. laudatus Dn. CARPZ. P. II. c. 5. §. 1. seq.*

XIII.

Verum frequentia Regis inter, imo et Statutos, quos vocabant, Iudices, atque Oppidanos Senatus diffidia, evidens item utilitas, atque lucrum, persvadebant  
Impe-



Imperatoribus, ut dictorum Iudicum munus Urbium Senatibus titulo, nunc oneroso, nunc lucrativo, nunc ad transferendum dominium habili, nunc minus idoneo, concederent. Sic v. c. primum Carolus IV. Anno 1366. Zittano Senatui Iurisdictionem, das Gerichte derselben Stadt und auf dem Lande / ut habet Instrumentum desuper confectum, certa mercede locavit; quae quidem locatio postmodum multoties est renovata. Wenzeslaus autem eidem Senatui de statuti Iudicis ICTIONE duas tertias, et Sigismundus reliquam partem, vendidit. *vid. Dn. CARPZ. c. l.* Idem in reliquis etiam Civitatibus usu venit; donec ICTIO omnimoda, vel saltem inferior, patrimonio earum cessit; qua de re *vid. Corp. Iur. Luf. p. 182.*

XIV.

Tenendum et hoc est, quod, ubi de Senatibus loquar, cum solis *Oppidanis* res mihi futura sit. Non ergo huc Senatus, vel Aulici, vel Ecclesiastici, vel Academici, aliique plures, qui hoc nomine veniunt, referri debent. Multoque minus ea, quae de Decurionibus s. Senatoribus ex Iure Rom. passim afferam, de illis intelligenda erunt, qui Reip. Rom. olim praefuerunt, cum quibus *CALVIN, in Lex. Iur. voc. Senatus.* Principes Electores Imperii nostri inepte comparat. Praeterquam enim, quod alii plures Iure Suffragii in Comitibus gaudeant; longe inferior Senatorum Rom. conditio fuit, quam Principum nostrorum, qui Superioritatem, quam vocant, Territorialem in subditos suos exercent; cum illis, qui Romae erant, Senatoribus, seorsim spectatis, non alia, quam obsequendi, gloria relicta esset. Itaque minores illos subintelligi toties volo, quoties aliquam Senatorum Romanorum mentionem iniicio. Neque *Decurionis* vocem eo te abducere patiaris,



ris, ut, istos sub Senatorum vocabulo minus contineri,  
tibi persuadeas; contrarium enim luculenter ostendit  
L. 33. C. de Decur. CALVIN. l. c.

XV.

Agam vero ex instituto de Ampliffimis sex Urbium  
Senatibus, quatenus ius aliquod circa se ipsos exercent  
singuli. Quo loco praeter id, quod in Lusatia superiore  
sitae sint, et Sereniss. ac Potentiss. Polon. Regi et Elect. Sax  
pareant, attendendum est, (1.) Sex illas celebriores  
Urbes *Hexapoleos* nomine insigniri eo, quod foedus inter se  
anno 1337. inierunt. conf. Dn. GROSSER. *Laufn. Merckw. P. I. p. 75.* (2.) easdem singulas iure  
Comitiarum, siue iure suffragium ferendi in Comitibus,  
gaudere; atque adeo (3.) coniunctim alterum Lusatiae  
superioris statum, nempe *Ordinem Civitatensem*, den  
*Städte-Stand* / constituere.

XVI.

Nam observandum est, post diutinas, imo avitas,  
Statuum Provincialium, altercationes circa eorundem,  
atque inde dependentium Votorum, numerum subor-  
tas, litem ita sopitam esse, ut in almae Pacis conservati-  
onem status in duos Ordines divisi, *Nobilem* alterum,  
alterum vero *Civitatum*, efficerent; ne, facta forte animo-  
rum distractione, atque plurium votorum discrepan-  
tia, publicae rei utilitas, et commendabilis concordia, pe-  
riclitaretur. Sunt verba vernaculo idiomate expressa  
*Decis. Ferdin. S. 8. in f. et S. 14. quam vid. in Corp. Iur. Lus. T. 1. P. 6. p. 114. et LKNIG. Reichs-Archiv. Part. Spec. Cont. II. Vol. I. in App. ad Doc. Sax. fol. 29. seqq.*

XVII.

Sed probe notandum est, quod h. l. iuxta du-  
ctum II. F. 10. et I. F. 14. ubi Interpp. Dn. HORN.  
in *Iurispr. Feud. c. S. 15. sqq.* non solos Nobiles  
B vulgo



volgo sic dictos, sed et Equites, Barones, Dynastas, et Comites, imo Praelatos etiam, sub Ordine Nobilium, dem Land:Stand/ tanquam numero potiorum, servata tamen cuilibet membro, ab ipsa lege asserta, Dignitatis prerogativa, intelligam. *vid. Per-Il. Aut. Fec. Europ. T. 1. p. 246.*

XVIII.

Caeterum huius quidem instituti rationem specialem, non unam alteramve, sed multiplicem, darem, nisi labor iam ab aliis occupatus esset. Alius enim, ut recentiorum meminerim, in *Communis Iuris Feudalis collatione cum Lusatia*, binis vicibus reconditae eruditionis documentum edidit, alius autem in argumento *de Iurisdictione Ecclesiastica Hexopolitanis competente ingenii vires exercuit*, rursus alius argumentum de *Servis Lusatiae superioris s. hominibus glebae adscriptis* egregie tractavit, alius denique *differentias potiores Iuris Communis et Statutarii Budiss.* exhibuit. Itaque, postquam Senatibus Hexapolitanis Ius, circa honores Ecclesiasticos, vindicatum erat, quousque circa seculares, eosque Senatorios, eorundem potestas pateret, indagandi consilium inii. Quem laborem iam, praetermissio ulteriori verborum circuitu, Deo annuente, aggredior.

XIX.

Primo omnium de existentia huius iuris videndum. Expediet, reor, rem repeti a prima origine, monente *Gaio in L. 1. ff. de O. I.* Et, quod attinet commune forum, res in proclivi est, ex *L. 1. C. de Mag. Munic. BRVNNEM. ad b. 1. L. 2. C. de Decur. L. 45. eod.* Id ipsum autem antiqui Germanorum mores haud admittunt. Illi enim, quibus Iuventus sua pro moenibus erat, urbes ferre haud potuerunt, magno sibi dedecori ducentes, moenibus sese valloque cingere; Eos ergo, quod sponte consequitur, nec



nec Senatus novisse oportuit ; Coeperunt tamen Cis-Rhenani, aut, si tanquam Germanus loqui velim, Trans-Rhenani primum urbes incolere, postquam secundum Victorum Romanorum mores atque praescripta vivendi rationem instituerunt. vid. de his singulis prolixè differentem *CONRING. de Urb. Germ. th. 20. 53.* Et quamvis Trans-Rhenani, nobis, cis Rhenum habitantes, praeter antiquissimam urbem, *Schidingam*, vid. *GREGOR. TVRON. L. 3. Hist. Franc. c. 4. et WITTICHIND. CORBEI. Hist. Sax. L. 1. circa Saecul. IX. et X. sub imperio Thesei illius Germanici, Henrici Aucupis, plurimas urbes munitas incolerent, tamen Ius, Burgorum Magistros, h. e. Senatam, vid. §. II. et. CONR. th. 75. constituendi, non ipsorummet Civium, item potestas in deficientis locum alium eligendi, non caeterorum Collegarum, sed modo Principis, *CONRING. c. 1. th. 50.* modo Missi, quem vocabant, Regii erat.*

XX.

Quod vero hodiernis moribus ius illud Senatibus asserere liceat, demonstratu longe facilius est. Argumentum fortissimum praebent egregiae Principum concessionibus, quibus tantum non omnes honeste superbiunt Oppidani Senatus. Praebent et secutae Successorum Confirmationes, quas illi, maioris securitatis et cautionis ergo, impetrare solent. Suppetunt sexcenta alia, quae nunc in medium afferre, longum est. Sic, ut vel tribus verbis nonnulla attingam, anniversarii electionum actus, *Raths-Rühren* / iidemque nunc adstrictiores, nunc liberiores; sic Sacra solemnia, quae eiusmodi actus comitari solent, *Raths-Predigten*; sic, quae passim Gymnastica iuventus, eorundem intuitu atque occasione, Exercitia Oratoria atque Dramatica instituit, quaeque his praemitti solent, Programmata; sic, quas



tali casu, sub auspiciis novi Regiminis, largus clientum numerus, modo ligato, modo soluto dicendi genere, seriptiones offert; sic denique crebrae suspensiones et remotiones, a Senatibus susceptae, iuris istius indicium luculentum praebent.

XXI.

Neque vero unum idemque ius omnibus Senatibus circa se, sed adstrictius huic, illi laxius competit. Quantum quis iuris qs. possedit, tantum sibi acquisivit. *L. 8. §. f. d. A. vel A. P.* Sunt, qui nominandi ius tantum habent, vid. *Ill. BERGER. Oec. Iur. p. 59. ibi: antegressa ordinis nominatione: et p. 204., in praeiudicio adiecto, voc. vora geschlagen;* quod verbum nudum ius nominandi, s. Principi ad eligendum offerendi, das *Vorschlagungsrecht*/aperte satis indicat. vid. *SCHILT. Inst. I. C. L. 3. l. 14. §. 9. 10.* Sunt, qui nominant et eligunt simul, ita tamen, ut omnis factae electionis effectus tamdiu cesset, donec superioris confirmatio accesserit. Quod quidem ius plenius in Rep. Rom. viguisse, docet *L. 45. C. de Decur. BRVNNEM. ad b. l. n. 29.* Sed nostro Seculo plerumque illud Senatus sibi vindicant; id quod actus varii electitii, et, quae maiorem probandi vim habent, Privilegia loquuntur. Quo loco vel tribus verbis observare liber, quod in terris Saxonis maiorum urbium Senatus, Dresdensis, Lipsiensis, et Vitebergensis, ab Intimo Status Consilio, minorum autem, a Regimine *Dresd. Lands-Regierung*/confirmationem impetrent. Sunt denique, qui iure pinguiori gaudent, et privilegiis exemptis muniti nominant, atque eligunt; *conferunt* etiam, atque rursus adimunt Senatorios honores. In quorum numero Hexapolitani sunt. Cuius triplicis iuris ab illis acquisiti, causas modosque, iam investigare iuvat.

XXII.



XXII.

Vt summa Iuris dicendi cura ad totum illud potestativum, Maiestatem, vel Superioritatem Territorialem, ranquam integralis pars, pertinet; ita et publicae rei administratio eodem loco censetur. Penes quem itaque Magistratus constituendi potestas eminenti gradu residet, eum penes administratores quoque legendi facultas non esse nequit. At enim facile largior, plurimas apparere causas, ex quibus illa in subditos derivari possit, atque revera translata sit.

XXIII.

Ex quo enim Imperii Principes, vi Superioritatis Territorialis, proprio Iure pagos atque provincias suas regere coeperunt; hi longe gravioribus distringebantur negotiis, quam ut cuilibet Civitati administratores praeficerent; Succedebant itaque Civium actus, unus alterve, quibus vel commendarent aliquos, vel iam electum Principi confirmandum offerrent, vel denique, sumtibus forte parcentes, ne quidem Superioris auctoritatem requirerent. Fecit ad stabiliendam hanc potestatem egregia Principum fiducia, quam in Senatibus posuere; eo forassis argumento adducti, quod hi in Ordinem suum neminem legerent, nisi qui illo dignus, et egregius in Remp. meritis conspicuus esset, atque tales gestae administrationis rationes redderet, in quibus nihil desiderari posset.

XXIV.

Verumenimvero haec omnia tanti non fuere, ut ius aliquod perpetuum usurpantibus tribuerent; cum sola Principis tolerantia non inducat dispensationem. *c. 18. X. de praebend. GONZALEZ. TELLEZ. in not. ad b. c. n. 6. c. 3. X. de Cognat.* Hactenus itaque, ex Superiorum arbitrio, omni, vel designandi, vel eligendi, facultate



te rursus exui poterant. Quare opus fuit modis et titulis, quibus ius aliquod perenne consequerentur. Ex Naturalibus quidem Praescriptio suppetit; cum nihil h. l. intersit, an Princeps in acquisitionem expresse consenserit, per concessionem, an tacite s. praesumptive, per praescriptionem, quippe qui tacitus consensus vim Privilegii habere intelligitur, modo immemorialis temporis lapsus accesserit; iuxta praescriptum c. 26. X. de V. S. R. l. de anno 1548. §. Wenn auch ein et §. Wo aber innerhalb Menschen Gedenden / MOD. PIST. Conf. 4. n. 32. Quod tamen secus se habet, si quis Regale quoddam contra privatum, aut, ut verbis Dn. HORNII Iurispr. Feud. c. 8. §. 19. utar, ius aliquod eximium, a Principe priuato concessum, praescribat; Eo enim casu ordinarium tempus sufficere volunt. vid. ROSENTH. c. 5. concl. 17. n. 3. Cum nihil intersit Principis, utrum ab eo, cui ipse concessit, an ab alio, contra hunc per praescriptionem acquisitum, exerceatur; ut Ill. BERGER. Occ. Iur. p. 263. existimat.

XXV.

Sicuti etiam in praescriptione 30. annorum, cum effectu domini tali, ius Civile titulum non requirit, L. 8. §. 20. C. de praescr. 30. vel 40. ann. ita quoque comparatum fuit cum eo iure, de quo iam quaeritur. Nam ipse temporis lapsus, et Superiorum patientia, de quibus paulo ante, tituli vicem sustinuit, saltem praesumpti. MEV. P. 6. D. 122. CARPZ. P. 2. C. 3. d. 6. PRVCKN. de Regal. c. 5. n. 5. L. 3. §. 4. ff. de Aqu. quot.

XXVI.

An vero hoc ius, tanquam res pro derelicta habita, acquiri possit, ego quidem dubitaverim; Licet enim Princeps vel per incuriam, vel ob alias rationes, per longissimum tempus, iuris saepe memorati exercitium



citium sibi non vindicet, adhuc tamen ipsi integrum est, illud ad se revocare. Licet etiam vel maxime, e-  
veniente casu, dicat, se eo iure imposterum uti nolle,  
inde tamen nondum inferre licet, quasi illud dereli-  
querit, atque adeo cuiuscunque occupationi *L. 1. ff. pro  
derel. §. 12. I. de R. D.* exposuerit. Id potius voluisse  
argui debet, ut in eos transferret, quorum quam  
maxime intererat; Adde, quod eo, quem posui, casu  
expressa concessio tacitam derelinquendi voluntatem  
manifeste excludat. Praescriptio itaque usurpationi  
accedat, oportet, de qua in prioribus, aut vera con-  
cessio, de qua nunc agendum.

XXVII.

Ex Civilibus modis omnium usitatissimus fuit ex-  
pressa concessio s. Privilegium, in iis quoque Civitatibus  
exercitus, quibus iam per praescriptionem ius quaesitum  
erat. Quamvis enim sola praescriptione niti possent,  
fortius tamen duplex vinculum ligare, Senatus pu-  
tarunt, atque de promptioribus probandi mediis sibi  
prospexerunt.

XXVIII.

Verum hic dubium aliquis movere poterat, an  
hoc ius, circa honores Senatorios, per concessionem in  
Senatus transire queat? Praecipua ratio dubitandi est,  
quod sit Regale maius, quod alias in subditos a Prin-  
cipe derivari nequit. Sed primo responderetur, quod  
Imperans non ipsum ius constituendi, non ipsam iu-  
ris proprietatem, contra *L. 3. ff. ad L. Iul. Maj.* conce-  
dat subditis, quippe quae naturam habet a suo subiecto  
inseparabilem; sed nudum eius exercitium, tanquam  
causae ministeriali aut instrumentali, ut *GROTIVS* habet,  
*L. 1. de I. B. et P. c. 3. §.* competens non iure proprio,  
nec independenter, sed subordinate, ita, ut si forte Sen-  
natus



natus creditam sibi in partibus eius regendis Rempubli-  
cā male administrent, et quosdam contra legitimum  
modum clavo Reip. admoveant, sine ullo dubio  
concesso iure privari possint; sive deinceps Privilegio-  
rum tabulis clausulae commissoriae aut revocatoriae an-  
nexae fuerint, sive non, cum iam Iuris intellectu pro  
appositis habeantur. *MEICHSN. Dec. Cam. 1. t. 2. L. 1. Dec.*  
*6. n. 89. seq.*

XXIX.

Et his quidem viam pandere volui ad ea, quae  
nunc de Hexapolitanis dicenda veniunt. Quod isti  
quoque Senatus singuli quodam circa se iure utantur,  
nemo forte in dubium vocaverit, cum ea probationum  
momenta, quae pro illi Senatibus in genere asserendo  
supra retuli, huc optimo iure trahi possint. Hoc tan-  
tum paucis monendum, quod illo munera Senatoria  
libere conferre soleant; Id quod inter Privilegia illis in-  
dulta non ultimo loco habendum erit.

XXX.

Acquisiverunt hoc ius ex causis, quarum itidem  
aliquam in superioribus inieci mentionem; nempe per  
tacitam Principis voluntatem, s. praescriptionem, et  
expressam s. concessionem. Iam enim Rex Wenzeslaus,  
referente *Chronico* quodam *Budiff. MSST. de anno 1405.*  
Senatum Budiff. contra liberae Electionis turbatores  
multis supplicii affectos defendit. Imo ex *Zittav. An-*  
*nalibus Dn. CARPZ. P. 2. c. 2.* collegit actus liberae ele-  
ctionis de anno 1370. ut plura documenta taceam.

XXXI.

Sed forte obiiciat hic aliquis, ius illud ex sola prae-  
scriptione minus probari posse, propterea, quod non  
solum a tempore Mandati Ferdinandini, vi cuius anno  
1547.



1547. contra venientium bona, fama, et vita in commif-  
 sum cadebant, ut verba: bey Strafe Poen=Zalls/ in  
 ifto mandato comprehenfa explicat *vetus quaedam Ord.*  
*Pol. Bobem. tradente Dn. CARPZ. P. 2. c. 1. §. 18. p. 207.* omne  
 ius praefcriptione quaefitum Civitates amiferint, verum  
 etiam iam ante hunc triftiffimum eventum ipfa prae-  
 fcriptio interrupta fuerit; In cuius rei fidem apprime  
 facere videbatur, quod Zittaviae Civium aliquot tur-  
 bulenta capita, tribus distinctis, vicibus anno 1408. 1411.  
 1414. caufa ad Regem Wenzeslaum devoluta, non  
 obtinuerint tantum, ut et ipfi de Senatoriis ho-  
 noribus participarent, fed effecerint quoque, ut ipfe  
 Imperator per Praefecrum suum, den Land-Richter /  
 quos ipse vellet, in Senatum legeret; ut prolixè refert  
*Dn. CARPZ. P. 2. c. 3. §. 3.*

XXXII.

Atvero salva res est. Nam laudatus *Dn. CARPZ.*  
*c. 1.* ostendit, quod Senatus Zittav. post tempora  
 praedicta turbida, suo iure, circa liberam electionem  
 competente, quasi postliminio usus fuerit. Deinde ex  
 gratiosa Imperatoris voluntate, cuius, inter Hexapo-  
 litanas, Civitati omnia iura, prouti ante poenam in fe  
 statutam illa possederat, restituta sunt. Hinc verba pri-  
 vilegio inserta: Die freye Raths-Chür/wie sie dieselbt-  
 ge vor Alters in löblichen und üblichen Gebrauch ohne  
 Männigliches Irrung gehabt 2c. Et, quod primo loco  
 ponendum erat, singula Senatuum Collegia Anno 1559.  
 de dat. Aug. Vindel. d. 20. Iun. Privilegio, honores Se-  
 natorios liberrime conferendi, munita sunt, quod vid.  
 in *Dn. GROSSER. Laußn. Merckw. P. 2. p. 190. lit. B.*  
 cum eam biennio ante, sc. anno 1557. in tantum, ut  
 munerum istorum collationes non nisi ex Imperatoris  
 C volunt-



voluntate speciali praevia fierent, restrictam recuperassent. *Id. ibid. p. 189.*

XXXIII.

Largitus est hoc Privilegium idem Ferdinandus I. cui Confiliarii quidam, Hexapoleos salutis maxime inimici, *Dn. GROSSER. c. 1.* executionem dicti Mandati poenalis extorferant, forte in aliqualem gravioris animadversionis compensationem, atque ob comperitam Civitatum innocentiam. Praedicantur ibi eandem praeclara in Imperatorem, eiusque Maiores, merita; Adiicitur Clementiae atque benignitatis mentio. *vid. M. Ioh. CAMPAN. in sua Czechiade p. 102.* ubi dicit: quod hic Ferdinandus I. pacis studium, et liberalitatis exercitium vivis coloribus expresserit; Imo, quod diligenter notari meretur, et hac ratione commotum se Caesar expresse indicat, ut effraenis totius fere Hexapoleos Civibus, eorumque dominandi libidini, frena iniceret, iisdemque omne, quod antehac sibi asserere audebant, in Senatoribus eligendis cum ipso Senatu concurrenti, ius adimeret. *vid. §. 31.* Eoque modo ansam ulterius rebellandi praescinderet. *vid. Chron. Budiss. §. 30. cit.* Nec Serenissimus Filius Archi-Dux, quem et alias Hexapolis in se longe Clementissimum multis modis experta fuit, intercessionibus suis parum profuit; quod ipse Invictissimus Pater in concessionis verbis non diffiretur. Hactenus de acquisitione iuris, quo Civitates, speciatim Hexapolitanae, gaudent. Nunc de modis illud *conservandi* dicam.

XXXIV.

*Vsus* hic primas tenet, quo ius constitutum integrum servatur. Complectitur autem haec Senatuum circa se potestas duo praecipua capita, *Collationis* alterum, alterum *Ademptionis*. Videamus de *Collatione*, quam *Ele-ctio*



ctio pariter atque *Denominatio* praecedunt; Hos eosdem  
 actus autem a diversis Collegii membris expediri, soli-  
 tum est. Fidem dictis conciliat Schema quoddam, a  
 Fautore quodam, studiose observando, transmissum,  
 quod, ut subiiciam, non abs re fore, arbitror. Scilicet,  
 die, qui electionem praecedit, Consul tunc temporis  
 Regens, horis pomeridianis, Collegium Consulare  
 convocat, cumque Collegis suis, cui administratio  
 Reip. finito Regimine demandanda, aut, si forte locus  
 cuiusdam Senatoris demortui vacet, an, et quis in  
 eius locum surrogandus, et Collegio Senatorio ad-  
 Eligendum denominandus, consultat; factoque, col-  
 lectis suffragiis, Concluso, die Electionis subsequenti,  
 convocato Concilio, praemittuntur Curialia, hisque  
 finitis, Consul, qui hactenus Regimen sustinuit, Fasces  
 cum sigillo deponit, et de novo eligendo Consule suf-  
 fragia colligit, personamque eligendam e Senatu di-  
 scedere rogat; His peractis, Consul noviter electus,  
 Conclusum Collegii Consularis, de noviter eligendis  
 Senatoribus, Senatorio ordini aperit, atque illos, qui  
 hoc officio digni reputati sint, *denominat*, ex quibus,  
 rogatis suffragiis virilibus, dignissimi per *Maiora eli-*  
*guntur*, ipsisque in Concilium vocatis dignitas Senato-  
 ria *conferitur*.

XXXV.

Haec tamen cum dico, nemo sibi persuadeat;  
 quasi omnes omnino Civitatum Senatus hunc ordinem  
 servent, sive nominandi, s. praesentandi solum, sive eli-  
 gendi simul, et conferendi quoque ius habeant. Po-  
 tius asserere ausim, omnem illam triplicem facultatem  
 regulariter a toto Collegio exerceri debere, nisi aut  
 observantia, aut Statuta in contrarium allegari et li-



quido demonstrari possint. *EVERH. Loc. Leg. a tot. ad part. Barbof. Thesaur. locupl. L. II. c. 60. ax. 7.*

XXXVI.

Illud tamen ex dictis liquet, Consularem ac Senatoriam dignitatem paribus, quod ad hunc passum, conditionibus iudicari, et solum Senatum in his electionis actibus concurrere, nec quenquam alium, sive Civis ille sit, sive extraneus, ad eligendi consortium admitti. Quae, quid distent a priscis temporibus, velut in transcurso videamus. Ex Romanorum institutis Tribuno, Coloniarum Duci, decimam Civium partem *L. 139. de V. S.* Consilii publici causâ conscribendi, ex iisque conscriptis certas personas Iurisdictioni praeficiendi, ius erat, quos pro re nata ab ipso quantitatis numero, modo Duum-Viros, modo Trium-Viros, s. suae cuiusque Civitatis Consules appellare siveverant. *ZAHN Polit. Municip. L. 1. c. 3. n. 43.* Et Colonia iam semel deducta, ipsis Civibus integram quidem fuisse deprehendo, quos sibi vellent, publicae rei administratores, Decurionum nomine notatos, legere. *c. l. 239. BRÜNNEM. ad tit. C. de Decur. n. 29. et ad L. 1. C. de Mag. Munic.* Duum-Viros autem, ipsis Magistratus officio per annum defunctis, populi suffragio, nominare licebat, *L. 2. §. 2. ff. de adm. rer. ad civit. pert. ZAHN. d. l.* Verum utrosque Praetoribus confirmandos offerri, oportebat. Germanorum mores antiqui, solos Principes Burgorum Magistros constituisse, docent; *CONRING. de Urb. Germ. ib. 50.* moderni vero, iique particulares, multiplici argumento, et luculentis exemplis, Civium concurrentem in Senatu legendo potestatem evincunt. *ID. ibid. ib. 44. 46.*

XXXVII.



XXXVII.

Sed, ordine ita iubente, progredior ad personas, quae Senatoria munera capeſſere valent. Has certis qualitatibus exornatas eſſe, oportet, quas iuxta triplicia hominum bona curatius perluftrabo. Circa corporis dotes anxius haerere nolo, cum ipſa Senatoris dignitas loquatur, quam ſolicite Decori leges hic obſervari debeant. Conſule interim, ſi parva velis componere magnis, *CONRING. de Oligarch. §. 6. ſeq.* Quod vero animi bona attinet, ſtrictim videbimus, quarum rerum intelligens eſſe debeat, qui ad Senatorium munus adſpirat. Et ipſa quidem officii natura luculenter ſatis oſtendit, eum civili prudentia imbutum eſſe debere, ut obeundo huic muneri ſufficiat. *L. 6. C. de Decur.* Verumenimvero, cum hodie, ſi non omnes, certe Hexapolitani Senatus, Iurisdictione ſimul, eaque ſuperiore non minus, quam Inferiore, imo Eccleſiaſtica, donati ſint, ideo et literis eruditos Reipublicae clavo aſſidere, conſultum non minus, quam prorfus neceſſarium, eſſe videtur.

XXXVIII.

Equidem prae omnibus *Juriſperiti* Rempublicam et Cives beare ſolent, dum Ius et Juſtitiam propugnant, ac tranquillitatem conſervant; ſed tamen ſolis Iurium peritis has dignitatum portas patere, nemo exiſtimit; quippe quae ne *Theologiſ* quidem praecluſae ſunt. Exercent nempe dicti Senatus, ex ſcripta Principum voluntate, Iurisdictionem Eccleſiaſticam, vid. *Rec. Immiſſ. de Anno 1623. et literas reverſales ab Electore datas. Conf. Dn. GROSSER. Diſp. de Iuriſd. Eccl. p. 33.* cuius exercitium modo Clericis atque laicis ſimul, vid. *Churfl. Sächſ. Kirchen-Ordnung. tit. von beyden Conſiſt.* modo laicis tantum, concedi ſolere, experientia teſtatur. Cum



igitur quotidie casus obveniant, quorum decisiones vel Iuris Ecclesiastici prudentiam, vel etiam interiorem Christianae doctrinae cognitionem, requirant, et vero, nunc propter periculum, quod in mora est, nunc, ut sumtus ultra necessitatem non erogentur, receptum sit, ut Acta ad Consistoria, aut Theologicas Facultates, non transmittantur, sed ipsum Collegium in causis oblati cognoscat, prudentissimo consilio hoc Theologiae studio imbuti Senatorii muneris capaces existimantur. Neque *Artis salutaris periti* ab ista Senatorum dignitate hodie excludi solent, cum ex horum laboribus, quos in examinandis Medicorum et Chirurgorum testimoniis, et scriptis Epicrisibus, de lethalitate vulnerum, subeunt, et quibus saepenumero Iudices, in concipiendis sententiis, carere haud possunt, *vid. Const. Crim. Art. 149.* non leve in Rempublicam redundet commodum.

XXXIX.

His tamen ita positis, literarum expertes non omnem plane, ad eosdem honores ascendendi, spem deponant. Dantur enim varii generis munia, quae nihil cum Iurisdictione commune habent, et in quibus obeundis nulli eruditionis parti locus est. Illa qui administrant, varie appellantur; v. g. *die Steuer-Schoß-Waisen-Kammer-Bau-Mühl-Wein-Stall-Herren.* Ut hinc nihil obstare putem, quo minus hodiernum in Senatum legi possint, qui nullum doctrinae genus omnino attigerunt. Imo, si vel maxime iudicis officio tales fungi contingat, Iuris peritiam non magnopere desiderabunt, Assessoribus instructi, Legum gharis, qui hunc qualemcumque defectum facile supplerere queunt. *L. 2. quod quisqu. Iur. Ill. BERGER-Oecon. Iur. p. 913.* Quales, si vulgarium negotiorum arcana ex usu quotidiano didicerint, saepius ea munia melius



melius gerunt, quam qui oleam et operam libris impenderunt.

XL.

Iam de fortunae bonis quaedam dicenda veniunt; Senatorius ordo est speculum quoddam morale, in quod Civium quisvis intuetur, dignitatis gradum habet annexum; *L. 5. de Vac. et Excus. Mun.* Igitur non nisi legitima nativitate et bona fama conspicuus eidem admoveri par est. *L. 2. C. de dignit. ibique Gloss. L. 14. ff. de Mun. et Hon.* Est autem ea natalium macula personallissima; itaque ex iisdem progenitus ex hac sola causa ab eodem Senatorum ordine arceri non debet. Quod fit, ut spuriorum filii absque ullo dubio, sicut omnium dignitatum, ita et harum participes fieri, et capaces haberi soleant. Quem in modum Lipsienses consulti responderunt apud *CARPZOV. Dec. III.*

XLI.

Pro publica Civitatis salute Senatus consulunt, et velut excubant. Quocirca rationis est, ut eorum Consilia, non aut festinata, et fervida, aut lenta nimis, sed matura, sint. Inde factum est, ut prisca LLatores honorum collationes certis temporum limitibus circumscriberent. *vid. ZIEGLER. ad Lancellot. L. 1. t. 7. S. 10.* probe attendentes, juvenilem aetatem affectuum maius, quam iudicii, imperium agnoscere; senilem autem atque decrepitam tractandis arduis negotiis minus sufficere, eaque prope fastidire. *vid. L. 11. ff. de Decur.* Quamvis autem hodiernum haec veterum instituta in causis disceptandis sequamur, *vid. Ill. BERGER. Oec. Iur. p. 28.* plerumque tamen, quibus honores conferendi ius est, hodie libere, et ex proprio arbitrio, modo iunioribus, modo senioribus, conferre solent, rati, ex consiliis iuvenum atque



que senum optimam mixturam procedere; nec, quamdiu, sed quam bene vixerint, videndum esse.

LXII.

Affectuum studium angue peius Senatori fugiendum esse, facile mihi dederis; Igitur dabis et illud, plures ex una familia in Senatum legi, esse minus consultum; et tale Regiminis genus Oligarchiae speciem sapere, ideoque interdum publicae rei exitium minari praesentissimum. Quibus malis ut occurrerent Senatus Hexapolitani, varia remedia adhibuerunt, saluberrimaque instituta, felicissimo successu, introduxerunt.

LXIII.

Duobus officiis fungi, regulariter non est prohibitum. *vid. late CARPZ. P. 2. D. 194.* Hoc tamen in iis fallit, in quibus utrinque perpetua praesentia, sedula administratio, et distinctio realis, h. e. in ipsis personis, requiritur; *L. 13. L. 50. ibique Iob. de PLAT. n. 1. Cod. de Decur. Ill. BERGER. E. D. F. p. 37.* Qui enim multa negotia tractat, ne unum quidem recte absolvit. *arg. L. f. C. de Assess.* Cum itaque Senatorum munus sola civilium rerum administratione contineatur, consequitur, neminem in duobus Civitatibus hac dignitate fulgere posse, *L. 1. §. f. de Coll. et Corp.* sed, factio in aliud Collegium transire, priori renunciassè videri. *arg. L. 14. de Cohort. Princ.* Quod speciatim Lusariam attinet, de eo *vid. Ill. BERGER. Occ. Iur. p. 814.*

XLIV.

Virtutem in eligendo, non patriam, ponderari, fas est. Iuxta regulam itaque nihil interesse debet, indigena quis fuerit, an extraneus; Ille quidem maiorem fidei atque affectus, et rerum domesticarum peritiae



peritiae praesumptionem pro se habet, nec tantae aliorum inuidiae expositus est, *vid. L. 3. ff. de Off. Ass. ff.* Enimvero peregrinus etiam et advena beneficium sibi collatum, integritate fidei, multitudine meritorum in Remp. et diligenti rerum scrutinio facile demereri potest. Cuius quidem rei illustra exempla tantum non omnem Hexapolin, Gorlicium certe, atque Zittaviam, exhibere, nemo, nisi rerum Lufaticarum ignarissimus, nescire potest.

XLV.

Praestat, non eundem et imperare et obedire, quam, utramque personam ob eodem sustineri. Quapropter opifices, tanquam personas honorum minus capaces *MEV. ad Jus Lubec. L. 1. t. 1. A. 4. in Addit. ad Senatoriam dignitatem* ita evehi, ut opificio impostero quoque vacare possint, ratio vetat. Verum, ut in aestimanda opificum utilitate et praestantia, hominum opinioni multum tribuendum est, ita et pro cuiusque loci consuetudine, certos ex certis, iisque quasi cardinalibus, opificum collegiis ad Senatoriam munus adfcendere videas, hoc solo discrimine observato, quod honoratioribus Cives et incolae dicantur alicubi *Raths-Herrn*/illi vero, qui ex opificum Collegiis in Senatum cooptati sunt, *Raths-Freunde* audiant. Ex dictis liquet, de cuius generis subditis nobis sermo fit; Nam alias quisque intelligit, ipsos Senatores etiam, seorsim spectatos, imo et universum Senatus Collegium eo nomine comprehendi posse.

XLVI.

Caeterum, quid sentiendum de concursu pauperis cum divite, de eo consule *L. 14. ff. de Mun. et Hon. L. 46. C. de Decur. CONRING. Diss. de Oligarch. §. 6. seqq. et ZAHN. Polit. Munic. L. 1. c. 14. 15. seqq.* quorum labores

D

actos



actos in praesentiarum denuo agere, et ab illis dicta reco-  
quere, nefas duco. Saltem de eo, qui reluctatur, et obla-  
tum munus detrectat, annotare libet, eum, siquidem  
indigena sit, ad suscipiendum officium posse cogi, *L.*  
*1. ff. de Decur. L. 9. ff. de Mun. et Hon.* non obstante ali-  
quo exemptionis privilegio a muneribus personalibus;  
ut per *L. 2. §. 1. ff. de Vac. et Exc. mun.* Glossa conclu-  
dit ad *L. 3. C. qui aet. se. exc.* Nisi etiam ab honoribus  
quis se eximi curaverit. *SCHILTER. ad ff. Exerc. 1. th. 23.*  
Cum quisque Patriae suae ad omnem utilitatem, atque  
salutem eius procurandam arctissime obligetur *SCHRA-*  
*DER. de Feud. P. 10. Sect. 10. n. 34.* Et hunc eundem, ut  
aliis praesit, coactum, optimum deinceps Reip. gu-  
bernatores saepe existere, *MEV. ad Ius Lubec. L. 1. t. 1.*  
*a. 6. n. 1.* observat. Hodie vero tantum abest, ut privile-  
gia exemptionis ab honoribus municipalibus impetren-  
tur, ut potius severa alicuius *L. Iul. de Amb.* coercitione  
opus sit; excepto casu, quem tradit *SCHILTER. l. c.*  
*vid. CARPZ. L. 1. R. 75.*

XLVII.

Iam vero, perspectis Senatorum qualitatibus, ad nume-  
rum eorum devenio. Interest Principis et Reip. quam  
maxime, ne ad unius tantum, duorumve, sed paulo  
plurium, arbitrium civitates regantur. *PEREZ. ad tit. C. de*  
*Decur. n. 63.* Cum vero Ferdinandinum illud Privilegium  
Hexapolitanis certum personarum numerum haud sta-  
tuat, inde iuxta annalium testimonia, iam prisca tem-  
poribus, pro Curiarum amplitudine, nunc 8. nunc 12.  
nunc 18. nunc 24. Collegii membra numerare licet; Do-  
nec tandem certum personarum numerum, pro cuius-  
que Civitatis usu et rationibus, modo maiorem, mo-  
do minorem, ipsi Senatus, ex libero arbitrio, statuere  
coeperunt.

XLVIII.



XLVIII.

Notum est, Civili Iure, Consulares et Senatorias dignitates, imo et reliquos omnes honores, non facile per saltum, sed gradus, fuisse collatos, *l. i. ff. de Alb. scrib. L. 14. ff. de Mun. et Hon.* Verumenimvero ut idem illud non perpetuo, sed tunc demum, si vel nulla lex municipalis *L. 1. ff. de Alb. scrib.* vel consuetudo legitime introducta, *L. 32. de LL.* vel denique collatorum potestas libera *L. 21. C. Mand.* obstaret, fieri solebat; *STRUV. S. I. C. Ex. 4. tit. 1.* ita moderno iure regulariter quidem Lex Nautica eligentibus probatur, quae gubernatores futuros remigare prius iubet, quam eis in puppi sedere, ac clavum tenere, permittat; Vid. satis egregie de hoc argumento differentem *RICHELIVM in suo Testament. Politic. P. 2. c. 7.* Nihil tamen impedit, quo minus illi, penes quos eligendi facultas est, fasces, v.g. Consulares, ei tradant, quem ad Senatorium munus obeundum prius non admiserant; Quem quidem procedendi modum singularis subiectorum eruditio atque dexteritas, aliaeque circumstantiae, quandoque svadere, et commendare solent, eiusdemque non obscura exempla quaedam, in Hexapolitanis Senatibus, reperire licet.

XLIX.

Succedit tandem conferendi modus, quem quintuplicem hic facio. Vel enim memorati honores pure conferuntur, quando sc. perpetuum ius electo quaeritur, ad retinendam dignitatem semel collatam; vel in diem, quando ad certum temporis spatium adstringuntur; quo elapso, totius Collegii arbitrio adimi rursus possunt; vel mixtim, s. pure quidem, sed ita tamen, ut alternis annis quiescant, et reviviscant; quo



retero illos, qui vulgo **Wechsel = Herrn** audiunt; quales non Zittaviae solum, sed et Gorlicii, dantur; quamvis in illa tantum Civitate eo nomine expresse appellentur; vel sub conditione; vel denique sub modo, in specie sic dicto, cuius rei exemplum norabile praebet Statutum Budissinense *P. 1. t. 4.* verbis: **Des Rathes und Gerichts-Mittel / wie auch alle andere des Rathes / und Officianten / alles und jedes Advocirens / vorm Rath / oder Stadt-Gerichten / bey Verlust der Aemter / sich gänglich enthalten.**

L.

Sistuntur denique effectus, iidemque nobiliores, factae collationis. Consequitur itaque aliquem dignitatis gradum in Decurionum ordinem cooptatus *L. 5. ff. de vacat. et excus. mun.* et primum quendam inter Concives suos locum occupat, *L. 7. §. 2. ff. de Decur. L. 33. C. cod. f. regens* efficitur, ut *Ill. BERGER. in Oec. Iur. p. 58.* illum nominat. Ex quo tamen, cave, colligas, eum ex adductis rationibus, summum, inter omnes, honoris gradum iure sibi vindicare posse. Primo enim tantum alicuius dignitatis fit particeps *d. l. 5.* deinde etiam primum inter Cives, qua tales, locum obtinet. Vnde, ut in maiori dignitate constitutis incolis, imo Civibus, remoto civilis nexus respectu, nobilioribus, vel invitus cedat, ratio svadet. Ex quibus facilis erit solutio quaestionis, quam passim moveri videas: An Oppidani Senatus membra adversus Iurium et Medicinae Doctores, aliosque pari honoris gradu exsplendescentes, iure proedrias uti possit?

LI.

Si rem secundum Romanorum instituta metiri velis, negando respondendum erit. Eo enim iure, literarum expertes publicae rei praesunt, *L. 6. C. de Decur.*

et,



et, sicuti Municipiorum durissima conditio erat, *CONRING. de Urb. Germ. §. 53.* ita eorum Rectores parvi aestimari solebant. Sed hodie cum provincialibus Civitatibus res longe aliter comparata est; Quapropter, quod obiter noto, in hac tota Disputatione a voce *Municipii* abstinui, ratus cum *MEVIO Tr. de Arrest. c. 5. n. 8.* Civitates, superiorem recognoscentes, hodie abusive tantum Municipales appellari. Conditio earum est longe tolerabilior, atque nobilior, Senatorum cura longe gravior. Hi plerumque Magistratum officio funguntur simul, quod novae dignitatis gradum auget, et exquisitam literarum peritiam non potest non requirere. Fulgent inde Hexapolitani Senatus hodie Viris praeclare doctis, quorum plerique summo gradu Academico decorati sunt. Eorumque aliquos Ipse Sereniss. Rex et Elector in numerum Consiliariorum suorum adsciscere haud dedignatur.

LII.

Quocirca existimem, pro ipsa Civitatum magnitudine, qua ubivis terrarum aestimantur, pro curarum multitudine, inde exsurgente, quam onerosam factis Senatoria Collegia pro publica salute sustinent, denique pro gravitate officiorum, quibus, ipsa Collegiorum membra, inter se divisas, funguntur, haec illis anteferri, vel postponi debere. Imo etiam omnes omnino Ordinis Collegas, omni omnino muneris, sive levioris, sive gravioris, sive maioris, sive minoris annexae dignitatis, respectu vel maxime neglecto, solo receptionis iure, prae modo nominatis personis ius quoddam proedrias posse urgere, docet notabilis apud *Görlicenses* consuetudo, inaniter fortassis refragante *CRVSIO in Tr. de Praem. L. 1. c. 2.* introducta.



LIII.

Movent hic alii alias quaestiones, quas breviter excutiam. Dubitant quidam, an Senatores et Iudices Hexapolitani possint esse nobilium Iustitiiarii? Et dubii solutio in promptu videtur esse, si dicas, in Sax. Elect. rem esse planam, propter generale Rescriptum prohibitorium, d. 14. Jun. 1698; in nostra vero Lusatia nulla Constitutione publica esse prohibitum, adeoque nihil impedire, quo minus haec duo in una persona concurrant; Compatibilia esse, Iudicem, vel Senatorem, agere, et pluribus simul a Consiliis esse.

LIV.

Verum hac responsione res nondum conficitur; Nec enim in Electorali Sax. Senatores et Iudices Oppidani Nobilium Iustitiiarii esse prohibentur, quia Rescriptum ad Regios Iudices s. Praefectos directum fuit; Deinde, non Senatorum quidem, bene tamen Praefectorum munus, cum Iustitiariorum officio, quod non, Consilia suppeditando, sed, iudicia derigendo, absolvitur, quodammodo pugnat. Quocirca non existimandum est, quasi haec officiorum coniunctio, tanquam res mere adiaphora, prohibeatur; sed tanquam actus ipsi Praefectorum officio contrarius, adeoque ipso iure tacite prohibitus, sed tamen temere exercitus.

LV.

Fac enim, quaeso, Praefectum, Nobilis Amtfaffii Iustitiarium, tulisse sententiam, a qua pars laesa provocare velit, haec, inquam, gravata pars, sive ad Praefectum appellet, sive Curiam aliquam Provincialem adeat, magis adhuc gravabitur; Nam priori modo spes reformatoriae cessat, posteriori aliquam Processus instantiam amittit. Qua ratione fieri non potuit, quin



quin Princeps, summus Iustitiae Praefes, Praefectis se-  
vere interdiceret, ne imposterum, cum maximo alio-  
rum detrimento, turpia lucra captarent. Verum, quod  
Senatores et Iudices Oppidanos attinet, haec omnia,  
etiam in Saxonia, Lusatia, alibique, secus habent, cum  
Nobiles, Senatuum Oppidanum superiorem recognosce-  
ntes, vix reperias. Nam si quaeras de Praefectis pro-  
vincialibus Lusatae, Budissinensi sc. et Gorlicensi, aut  
summo omnium iudice Regio, dem Land-Boigt/idem  
de istis dicendum foret, quod in praecedentibus de  
Praefectis Saxonice notavi.

LVI.

Obiicit: Rescriptum istud prohibitorium non ad  
sola Nobilium Amtsassiorum, sed et Schriffassiorum,  
iudicia pertinere, adeoque Senatores Lusatae aequae,  
ac Saxoniae Praefectos, fringere. Sed respondeo; pal-  
pabilem adhuc diversitatis rationem adesse, sc. divi-  
sa maxime Senatorum civilia, communicata vero cum  
assessoribus iudicum Oppidanorum, negotia, et con-  
catenatos, atque in una Praefectorum persona concu-  
rentes, labores, quos officii ratio postulat, neque aliis  
negotiis, ut par est, vacare permittunt.

LVII.

☪ Succedit alia, quae multum agitari solet, quaestio;  
An Senator Advocati munere fungi queat? Ad hanc  
plerique Iuris Interpretum ita respondent, ut distin-  
guant inter iudicium, Senatus proprium, et alienum;  
Concedunt unanimi consensu Senatoribus causarum  
patrocinium in alienis iudiciis, *MEV. ad Ius Lubec. L. 1.*  
*l. 1. a. 13. n. 25.* denegant autem in propriis, vid. *RIVIN.*  
*Enunc. 1. 3. En. 6.* Hi sequentibus fundamentis nituntur.  
Primo provocant *ad L. 5. ff. de Off. Assess.* ubi Paulus di-  
ferre fati. *Consiliario s. assessori iudicii eo tempore, quo  
assidet*



*affidet*, in suo auditorio negotia tractare, nullo modo permittit, in alieno autem plane non prohibet. Iung. c. 63. X. de Appell. Deinde citant *L. f. pr. C. eod.* ubi Iustinianus omnibus in univcrsum causarum patronis munere uno eodemque tempore iudicandi interdicit. Præterea favere sibi putant *L. 6. C. de Postul.* ubi *Imp. Valent.* et *Val.* in hunc sensum loquuntur: Quisquis vult esse caufidicus, non idem in eodem negotio sit advocatus et Iudex. Quo et facit *L. 34. C. de Decur.* ubi Decuriones a procuratione arcentur.

LVIII.

Addunt rationes alias, quæ primo intuitu non parum momenti habere videntur. Suspicionem primo loco ponunt, quam contra iudicem eiusdem causæ Patronum militare aiunt. *LAVTERB. Comp. Iur. tit. de iud. p. 99. in f.* Vrgent (2) disconvenientiam istorum munerum; incompatibile enim esse, in eadem causâ penes eandem personam, munus Iudicis et Advocati, scribit *STEPHAN. GRATIAN. T. I. Disc. For. c. 4. n. 8.* (3) Defectum virium; ne, cum ad utrumque festinat, neutrum bene peragat; nam abunde satis sufficit, per advocacy causis perfectissime patrocinari, et assessoris officio fungi. *L. f. C. de Assess.* (4) Respectum personarum; quod aliquem inter arbitros et patronos oporteat esse delectum. *L. 8. C. de Postul.* (5) Honestatem, quam obistere perhibent, quo minus quis iudicis partes et patroni rite obire possit; neutrum quidem in se turpe esse, si seorsim spectetur; si vero coniungantur, et ab una persona sustineantur, non magis inter se convenire, quam aquam et ignem, nisi quod physice hæc, illa moraliter inimica sint. *ZIEGLER. Dicast. Concl. 19. §. 3. seq.* (6) Communem Dd. opinionem, et sententias Collegiorum; a quibus recedere piaculum putant.

*Gloss.*



*Gloss. et Dd. ad L. 3. C. de sent. et interl. BESOLD. L. 1. Conf. 20. n. 117. (7) Principum voluntatem, quam pro ratione, non immerito, habent. (8) Favorem denique, modo Iudicis, modo Assessorum, quo plerumque erga Senatorem ferantur.*

LIX.

Ad stipularer et ego huic sententiae, nisi superessent quaedam, quorum intuitu in diversas partes abire, ipsae Leges, earumque ratio, iubent. Habent me cum *MEVIO* facientes facile consentientem, quando Senatores Civitatis, in alieno iudicio, tanquam advocatos, admittunt, ob *L. f. C. de Assess. L. 5. ff. eod.* Quamvis nec defint, qui hanc *Legis fin.* prohibitivam dispositionem etiam ad aliena iudicia extendant. *vid. ZIEGL. Dicass. d. l. §. 5.* Quando autem in propria Civitate omnem ipsis iudicii aditum praecludunt, non possum non, quin contra sentiam. Equidem non dubito, fore plerosque, qui temere me facere putent, quod a communi sententia recedere audeam; Cum autem multas sententias vulgo receptas esse intelligam, quas deinceps falsas esse animadverti, insuper habita omni autoritate, rem ipsam curatius aliquanto examinabo.

LX.

Antequam autem ad sententiam meam adstruendam accedam, prius obiectiones, ex prioribus enascentes, destruiam. Primum argumentum, ex *L. 5.* defunctum, nihil ad rem facit. Consiliarius si Assessor iudicii non potest advocatus esse, eo tempore, quo assidet. Et hoc quidem saluberrime constitutum esse; nemo negaverit. Imo, si contra fecerit, eum *L. f. §. 2. C. de Assess.* aculeos nullo modo evitare, existimo; Hac sola cautione adhibita, quod pecuniaria, *X. libb.* auri, poena, ibidem statuta, hodie in arbitrariam commu-

E

tata



tata sit, ob generale in foro receptum principium: Quod omnes acriones pecuniariae, certam poenam inferentes, hodie, ex arbitrio iudicis, modo ad plus, modo ad minus, dentur. *vid. Ill. BERGER. E. D. F. p. 152.* Cuius rei exemplum vid. apud *RIVIN. Enunc. 5.* Cum enim LLatores vidissent, his assessoribus atque iudicibus, licentiam, qua ipsis causas simul orare integrum erat, *vid. PLIN. L. 3. Ep. 4. et 9.* peccandi, v. g. cum partibus colludendi, illecebram esse; adversariis autem crebram de iudicum integritate dubitandi materiam subministrari; non immerito malo ingruenti medicinam pararunt. Et hactenus primam prohibitionis causam, suspicionis sc., addimere non refragarer.

LXI.

Verum enim vero, ut regula, in casibus, lege non exceptis, vim suam haud dubie retinet; et quidvis licitum tamdiu censei debet, donec contrarium lege probetur: *vid. L. 43. §. 1. ff. de Procur.* ita iudicandi quidem potestas cum advocati munere, *in una eademque persona, et uno eodemque negotio*; concurrere non potest; sed casus, ubi quis assessor et advocatus in diversa causa est, memoratae *L. 5.* sanctione minus continetur. Quo collimare videtur *LAVTERB. in Comp. Jur. p. m. 58. pr.* Neque ulla, hoc casu, suspecti postulatio locum sibi vindicare potest, cum, quod fit lege permittente, dicatur iuste et bene fieri. *L. 17. §. 12. ff. de Aedil. Edict. WESEMBEC. L. 1. Cons. 3. n. 52.* Imo non absurdum forte, aut a mente Icti alienum fuerit, hanc *L. 5.* non de assessore et advocato, sed potius de assessore et procuratore, intelligi; propterea, quia advocatus aliena negotia non tractat, sed iura suggerit, *L. 1. §. 2. ff. de Postul. procurator ex adverso aliena negotia administrat. L. 1. pr. ff. de Procur. vid. etiam Ill. BERGER. Oec. Jur. p. 970.*

Verum



Verum hanc litem, tanquam obiter propositam, in praesenti meam facere, instituti ratio non permittit.

LXII.

Ad alterum argumentum, ex *L. f. defumtum*, ea repero, quae ad primum regressi. Itaque progredior ad tertium, ex *L. 6. peritum*, quod itidem meam sententiam non ferit. Illa enim prohibet, ne quis in *eodem negotio* sit advocatus et iudex; Quam prohibitionem, et ego, iustissimam esse, ambabus, quod aiunt, manibus, largior. Nam, hac *L. penitus* inspecta, deprehendimus, universos advocatos tunc temporis ita litigantibus patrocinium praestitisse, ut in licentiam conviciandi, et maledicendi temeritatem prorumperent, nec agerent, quod causa desiderabat, neque sibi temperarent ab iniuria, atque adeo procaces essent, ut, non ratione, sed probris, putarent esse certandum. *vid. Tac. GODOFR. ad L. 2. Cod. Theod. de Postul.* Quibus recte consideratis, facile intelligitur, cur, abrogato pristino more, Imperatores voluerint, ne super uno eodemque negotio quis causam diceret, et sententiam ferret.

LXIII.

Nempe advocatus, qui simul iudicabat, causa utro citroque disceptata, sive contradixisset afferenti, sive neganti affirmando obstitisset, nunc in maiorem semel propositorum fidem, s. ut verba *L. f. in f.* habent, affectionis suae memor, nunc in iniuriarum haec tenus impune illatarum vindictam, s. ut *c. l. f. C. in f.* loquitur, advocationis memor, pro ea semper opinione, quam ipse foveret, laborare arguebatur. Quare Imperatores huic malo remedium afferre volebant, sancientes, ne munera ista in uno eodemque negotio coniunctim exercerentur. Quocirca intrepide assero, iudicem, citra suspicionis et confusionis metum, aut ex-



istimationis et honoris laesionem, in diversis negotiis, modo Patroni, modo iudicis, officio fungi posse; Quo quidem loco aperte consentientem habeo *Iac. GODOFR.* in not. ad *L. 2. C. Theod. de Postul.*

LXIV.

Solenne Romanis erat, ut munera singula singulis imponerent; quia duabus necessariis rebus unum non facile sufficere, credebant. *L. f. §. 1. C. de Assess.* Sic v. c. nulli concessum erat, duobus Magistratibus asfidere, *d. l. f.* sic Decurio prohibetur, sub gravissima poena, procurator esse, *L. 34. C. de Decur.* Tabularius, *L. 15. ibid. L. 21. C. de Fals. conductor bonorum, sive priorum, v. g. praediorum, L. 30. C. Locat. sive publicorum. L. 2. §. 1. ff. de Adm. rer. ad civ. pert.* item vectigalium, *L. 6. C. de Decur.* Igitur vi huius instituti non poterant concedere, ut quis iudicis et advocati munus coniunctim exerceret.

LXV.

Praecipua prohibitionis causa erat virium imparitas; ne, cum ad utrumque quis festinaret, neutrum bene perageret; Accedebat officii dignitas, in qua constituti fuerunt. *L. 5. ff. de Vac. et Exc. mun.* Contra vero procuratoris munus omnium vilissimum erat. *L. 34. C. de Decur.* et conductio praediorum ideo male audiebat, quod pro aliqua procurationis specie haberetur, *Nov. Theod. Ne curial. alt. praed. cond.* At vero, cessante Legis ratione, cessat et ipsa legis dispositio. *L. 32. ff. de Pact. t. 26. X. de iurei.* *EVERHARD. loc. leg. 85.* iam regulariter hodie Senatorum officium et administrationis gravitas impedire non intelligitur, quo minus quis etiam huic oneri sustinendo, et advocacionis muneri rite obeundo, sufficere queat, teste *Dn. PRAESIDE in P. 1. O. 8. Add. BRVNNEM. ad L. 6. C. de Postul. n. 5.* Neque hodie, mutato



mutato penitus Reip. Statu, procuratoris officium pro fordido reputatur. *O. C. P. l. t. 6. et 19. III. BERGER. Oec. Iur. p. 970.* Fundos etiam hodie Senatores pro luitu conducere, testis est *BRVNNEM. ad L. 30. C. Loc. n. 3.* et quotidiana experientia loquitur.

LXVI.

Sequitur quartum argumentum, quod et ipsum contra sententiam meam nihil omnino facit. Loquitur *L. 34. de Decurionibus*, quos plane nullam Iurisdictionis particulam exercuisse, in aprico est; in praesens vero de Senatoribus sermo est, qui vel coniunctim considerati, proprio iure, vel seorsim spectati, mandatario nomine, Iurisdictionem sibi competentem exercent; Ideoque 1<sup>o</sup> alienum, eo loco, 2<sup>o</sup> proprio, perperam contradistinguitur; Deinde Decuriones isti per c. l. a procuratore tantum, non item advocacione, arcentur. Nam luculenter satis ex *L. 2. C. de adv. dro. iud.* demonstrare licet, Decuriones, in propria Civitate, simul Ordinarios, ut hodie vocamus, advocatos fuisse. *vid. GODFR. ad h. l. lit. r. et ad L. 56. C. de Decur. lit. m.*

LXVII.

Devenio ad praeeudicia, Doctorumque opiniones. Vbi fateor, eam hodie Iurisprudentiae faciem fere esse, ut plerique causarum patroni, nisi casum in terminis terminantibus, ut barbaramente loquuntur, invenerint, clientum causas, felici cum successu, se perorare posse, diffidant. Qui abuti mihi videntur effato *BRVNNEMANNI in L. 23. ff. de LL. n. 4.* quod ea, quae in Academiis interdum audierunt iuvenes, in iudiciis et in foro didicere oporteat, nisi risui se velint exponere. Sed hi meminisse debebant, quod turpe sit advocato, ius, in quo versatur, ignorare, et stolidum, cum Phrygibus sero sapere, et magis cum incommodis ex aliis discere, quae ex propria



priae eruditionis thesauro haurire licebat. His obiter monitis, redeo, unde discessi. Provocant igitur dissentientes ad Pragmaticorum, speciatimque *RIVINI*, auctoritatem, qui t. 3. n. 6. adiecto praeiudicio enunciat; Senatorem coram Senatu, aut Praetorio, non admitendum esse, ut clientum iura proponat.

LXVIII.

Haec omnia me non movere valent, quin veriorum opinionem amplectar. Ea enim, in examinandis sententiis, quae proponuntur, via incedere soleo, ut ponderem, quid quisque dicat, non aequae, quis dicat. vid. c. 8. *Dist. 9. c. 6. X. de V. S.* Cum Dd. opiniones e-lumbes, et velut mortuae, sint, nisi nitantur rationibus Iuris. *WESENB. P. 7. Conf. 319. n. 32.* Vnde legibus et rationibus, non exemplis, et praeiudiciis solis, iudicandum esse, existimo. *L. 13. C. de sent. et interl. c. 1. de Postul. Prael.* Non enim spectandum est, quid Romae factum sit, sed, quid fieri debeat. *L. 12. ff. de Off. Praef.* Cum igitur laudatus *RIVINVS* Responsum suum, neque Lege, neque ratione sufficienti, quae in Lusatia nostra pondus habere possit, probaverit, ideo et sola eius auctoritas, ad infringendam opinionem meam, nihil quicquam, ut puto, valebit,

LXIX.

Obiicis: In Lusatia quoque Senatores coram Senatu, aut Praetorio, causas agere prohiberi; Quale statutum Budissae v. g. habetur. Sed hoc dubium facillime tolli potest; cum in aprico sit, mihi sermonem esse de Iure Communi, quid eo liceat, non, quatenus aliud Statuto constitutum est. Reliqua argumenta, quorum in superioribus mentio facta est, eius sunt generis, ut per se ipsa corruant, nec responsonem mereantur; speciatimque favoris vel odii in Iudice et Collegis, sus-  
spicio-



spicionem, praesumptio, ex iurisiurandi vinculo orta, omnino excludit.

LXX.

Hactenus operam dedi, ut obiectiones, quae sententiae meae opponi solent, diluerem. Nunc eandem, novis argumentis, et rationibus, stabilire aggrediar. Non reperam huc ea, quibus ex *L. 5. ff. de Off. Assess.* ibi: *eo tempore. quo assidet, L. f. pr. C. eod.* ibi: *uno eodemque tempore. L. 6. C. de Postul.* ibi: *eodem negotio.* vi contrariorum, meam sententiam adstruere possem. Satis enim, opinor, ea de re in superioribus actum est; sed statim *ad L. 56. C. de Decur.* convertor. Ibi *Alexandrini Principales* advocacione fungi, expressis verbis dicuntur. Iam vero *Principales* nihil designarunt aliud, quam primos Curiae, *d. l. 56. L. 127. C. Theod. eod. CALVIN. in Lex. Iur. voc. principales,* et Duumviros, quasi-Consules *GODOFR. ad L. 33. C. de Decur. lit. x. Magistratus Municipales, L. 26. ff. ad Munic. L. 13. ff. de Iurisd.* His, inquam, coram proprio, cum aliud non existeret, iudicio causidicorum officii fungi permissum fuit, quatenus ipsi in illa causa non iudicarent, ut temperat saepe citata *Lex 5. ff. de Off. Assess.* Nec est, cur vocula *Alexandrini* quenquam offendar, quasi iis solis haec potestas, causas perorandi, data fuerit. Ita enim *Impp.* ad factum, quod ipsis proponebatur, rescribebant; reliquis vero idem ius competere, luculenter simul significabant. Adde, quod Iure Civili talia Rescripta commune ius faciant. *L. 1. §. 1. ff. de Const. Princ.*

LXXI.

Pergo ad Legem Lusaticam, unde sententiae meae haud leve praesidium accedit. Est autem illa *in Ord. Iud. Lus. Sup. P. 1. §. 5.* obvia, ubi verba sic habent: *Als sollen = die Städte ihre Syndicos, oder andere quali-*



qualificirte Rath<sup>s</sup>-Verwandten = abfertigen = jedoch/  
da einer oder der andere Stadt-Syndicus von den  
Partheyen zum Advocaten bestellet / solle in diesen  
Fall / und desselben Tages / eine andre taugliche Rath<sup>s</sup>-  
Person zum Assessore verordnet werden. Quae As-  
fessoribus Iudicii Ordinarii, de quo c. l. sermo est, po-  
stulandi pro aliis facultatem disertis verbis indulget,  
cum eo tamen temperamento, ut in eadem causa di-  
iudicanda, eius loco, substitutus alius suffragium ferat.  
Quae, ni fallor, exacte conveniunt cum Iure Civili.

LXXII.

Non latuit, Romanos magis, quam Lufatos, LLato-  
res, verum quidem esse, quod, perfacili negotio, iudicis  
animus ita possit inflecti, ut iniustam, amici maxime,  
causam, pro iusta reputet. *Iob. Dieter. von Gülich*  
*discurs de Sim. c. 6. p. 122.* Sed recordati etiam sunt  
optimae praesumptionis, qua iudex amicos, non ultra  
iustitiae aram, honorare, *HOLTERM. de Var. iur. us. et ab.*  
*ib. s. sed, tanquam sol iustitiae, sine personarum delectu,*  
ius reddere intelligitur; perinde, ut sol naturalis, non  
alius huic, alius illi, sed omnibus unus est, atque com-  
munis. *Erasm. ROTEROD. in Simil.*

LXXIII.

Ex quo evenit, ut Iuris interpretes suspecti iudicis  
exceptionem adversus omnes Ciuitatis sapientes, *BALD.*  
*ad L. 64. n. 1. ff. de Condit. et Dem. h. e. totum Sena-*  
tus, aut iudicii concilium, fraudulosam, nec admitten-  
dam existiment; *VIVVS L. 1. comm. opin. in verb. suspecti*  
*Gail L. 1. O. 33. n. 2* idque constanti usu servant; *ZANGER*  
*P. II. c. 4. n. 16.* quamvis hic *n. seq.* subiiciat limitationem,  
nisi omnes assessores sint suspecti, aut maior pars eo-  
rum, aut etiam unus magna autoritatis, cui alii non  
audeant contradicere. Cuius tamen exceptionis pro-  
batio-



bationem plerumque difficillimam esse, quisque, me non monente, videt atque intelligit. Quocirca, ut omnia in compendium redigam, satis demonstratum esse, existimo, quod Senator, coram Senatu, vel Praetorio, causas orare regulariter, et, praestructis terminis, ut vulgo loqui amant, habilibus, non prohibeatur. In quam sententiam ab Ordine Ictorum Vitebergensi responsum aliquando fuisse, autor est *Dn. PRAESES in P. 1. Sel. Obs. For. 8.*

LXXIV.

Sed iam ad alia transeamus, ubi imprimis duplex, idemque singulare, Senatorum forum, occurrit. Tenendum est, singulos Senatus Hexapolitanos suam sibi propriam Iurisdictionem, Criminalem aequae, ac Civilem, certis personis, uno Praetorii nomine, committere tolerare. Unde colligi videtur posse, quod Senator, si conveniatur, coram eodem iudicio, forum sortiatur. Sicuti autem publica utilitas suadet, ne maioris momenti causae, a paucorum arbitrio iudicioque pendeant; ita memorati Senatus Hexapolitani, non omnes, delegatis suis, causas definiendas commiserunt, sed quasdam, easdemque arduas, et graviore, exceperunt, de quibus ipsi cognoscere solent. vid. huc apprime facientem *L. 56. de iud. ped.* Sic v. c. ipsi Senatus, cuiuslibet Civitatis, Ecclesiasticas causas, sive personas respiciant, sive res, quaeque his iungi solent, Matrimoniales, tractant; Sic omnes Tutorum, Curatorum, atque contractuum Confirmationes, et Insinuationes, ipsi suscipiunt; Sic denique in Senatores omnem sibi Ictionem reservarunt. Tenetur ergo Senator ipsum Senatum, nullo causarum discrimine servato, pro iudice competente, agnoscere, non vero regulariter Praetorium. Quod institutum

F

tum



tum cum Praxis quotidiana comprobet, ei pluribus demonstrando me inhaerere, supervacaneum fuerit.

LXXV.

Potest non solum coram Senatu, sed et Archi-Dicasterio Budiss. in *Criminalibus* conveniri Senator. Notum est, Senatorem, ex officii, quo defungitur, natura; Civem effici, L. 7. §. 2. ff. de Decur. L. 33. C. cod. quem ad Magistratus Municipalis, hodie, Senatus Opidani, eiusve delegatum iudicium, trahi, praecise oportebat; dummodo Senatus eam Iurisdictionis speciem in alios Concives exercere possit. Sedenimvero, quoad Criminalia, Lusatae iura a communis iuris dispositione quodammodo recedunt. Cum enim Ferdinandus I., in Lusatorum salutem propensissimus, utrique Ordini superiorem Iurisdictionem, adeoque et Criminalem, vid. §. 10. I. de Iniur. L. 25. §. f. ad Sct. Silan. CARPZ. Pr. Crim. P. 3. qu. 102. n. 78. O. Pol. S. de anno 1555. Ill. BERGER. El. Iurispr. Crim. p. 89. et Suppl. P. 2. Obs. 94. concederet, de quo vid. Corp. Iur. Lus. p. 132. Senatores in *Criminalibus* Regium, quod cum eo, quod Senatibus competit, concurrit, iudicium agnoscere, voluit. Sic enim habent verba Privilegii: Wir behalten Uns ꝛc. concurrentem et coniunctam Iurisdictionem an solchen Ober-Gerichten ꝛc. in Städten an den Personen / die Uns / Unsern Aemtern / und den Rätthen in Städten verwandt ꝛc. gänglich bevor. Quae verba, cum planissimum, de concurrente Iurisdictione, sensum exhibeant, mirari sinit, cur a quibusdam eo detorqueantur, quasi Senatores, nec possent, nec deberent, coram Senatu, eiusve Praetorio, conveniri, sed praecise coram Archi-Dicasterio Budiss. in omnibus causis comparere tenerentur. Sane evidentissime obloquitur.



quitur Imperator , quando dicit: an solchen Ober=Gerichten. Itaque *Criminum rei* Senatores quandoque *Archi-Dicafterium* iudicem agnoscunt; De Inferiore ICtione ne verbulum quidem subiecit Imperator; Quare in *Civilibus coram Senatu praecise* respondere tenentur.

LXXXVI.

Sunt, qui contendant, verba: *concurrentem et coniunctam ICtionem*, non intelligenda esse eo modo, quo alias vulgo a Iurisperitis explicantur, sed ita capienda esse; quod Imperator Ordinibus superiorem ICtionem concedat quidem, sed non omnimodam, quasi nullum plane huius ICtionis exercitium sibi reservare velit; verum, quod certas personas, quoad hanc ICtionis speciem, a foro Ordinario omnino eximat. Eam Imperatori mentem affingunt, cuius nullum vestigium ostendi potest, et cui quotidianus fori usus, qui optimus Legum interpret est, reclamat.

LXXXVII.

Neque est, cur dissentientes offendat vocula *Gänglich*/ et phrasis, *vorbehalten*. Nam inferius dicta temperanda sunt ex antea positis; id quod regulariter ordinis ratio postulat. Adeoque verbum, *Gänglich*/infert tantummodo enixam Imperatoris voluntatem, in iure Senatoribus de Criminibus dicundo concurrendi; vocula vero, *vorbehalten*/ Germanorum phraeologia, est satis clara, nec nisi, respectu Senatorum concurrentis, non vero omnis omnino Iurisdictionis superioris, reservationem indicat.

LXXXVIII.

Dubium illis iniicit forum Senatus, quod coram Archi-Dicafterio Budiff. sortitur; Idem idcirco Iuris in partibus statuunt, quod deprehendunt



dunt obtinere in toto. Quod sicut admitto de partibus, qua talibus : ita de iisdem, quando diversum respectum recipiunt, tuto negatur. Equidem verum est, Senatores, in Curia convenientes et consulentes, tanquam integrales Senatus partes, eodem, quo totum, iure aestimari ; Sedvero extra eam constitutos, perinde, ut alios, pro privatis, Civibus, et subditis, *vid. Ill. BERGER. Suppl. ad E. D. F. P. 1. p. 1252.* habendos esse, ideoque suum forum coram ipso Senatu sortiri, dubitari nequit.

LXXIX.

Caeterum, quod reliquum est, moneo, verba concessionis, *die den Râthen in Städten verwandt* / ad solos Senatores esse restringenda, non item ad alios extendenda. Sane Imperator omnem in omnes Iurisdictionem Criminalem Senatibus concessit, excepit *die den Râthen in Städten verwandt*. Ut autem omne privilegium latissime interpretandum, *L. 3. de Const. Princ.* et verba sic accipienda sunt, sicut accipit autor eorum: *c. 8. X. de Decim.* ita verba memorata idem significant, ac *Raths-Verwandte*; hi vero solos Senatores denotant, iuxta communem et proprium loquendi usum, quem maxime considerari oportet, *c. p. X. de V. S.*; ut hinc omnis restrictio, aut exceptio, ultra literam, non extendi debeat. Superfedere haec talia, in vulgus nota, his pagellis illinere, nisi essent, qui contendant, adductis privilegii verbis, non solos Senatores, sed alios quoque, v. c. Syndicos, Actuarios, imo et eos, contineri, qui ipsis sunt a pedibus, v. c. *Thür-Steyer / Marck-Stock-Meister / Raths-Gerichts-Diener / Stadt-Knechte* &c. Quam interpretandi rationem, ut opinor, nec verba privilegii, nec mens et sententia illius, admittunt. Syndicorum  
et



et Actuariorum munus, sua natura, cum Senatorum officio, nullam cognationem habet; Recipi possunt regulariter, dictae personae, atque dimitti, pro suo cuiusque Senatus arbitrio, qui tamen de Collegiarum munere eodem modo statuere non potest. Add. III. BERGER. *Suppl. ad E. D. F. P. 2. Conf. 74.* Hinc membra Senatus, *Raths-Berwandte* / in sensu politico, audire nequeunt; nisi, quod fieri quandoque siveit, munia Senatoria simul obeant; Quo casu duplicem personam gerunt, eoque intuitu pro veris Collegii membris, *Raths-Berwandten* / habendi erunt, ideoque forum illud singulare eisdem tali casu sortiri, non abnuo. De illis, qui Senatibus Hexapolitanis a pedibus sunt, minus dubitari potest, quod in Criminalibus illis subiiciantur; cum ad hos verba privilegii, nulla ratione, omnino quadrent. Quod et nemini serio in mentem venire posse, existimo.

LXXX.

Speciatim vero *Consulatus* effectibus nobilioribus accenseo potestatem, officia inter Senatores, proprio ex arbitrio, regulariter, distribuendi; *MEV. ad Ins Lub. Lib. I. t. 1. art. 4. n. 34.* adeo, ut nihil obstet, quo minus eorum administrationem plane immutare, et illi, qui hactenus pinguiori munere functus est, aliud, cuius conditiones minus laetae sunt, assignare possit; praesertim, si talis translocatio non ex affectu, sed publicae utilitatis ratione, fiat. vid. *Corbm. Vol. 3. Conf. 8. n. 5. seqq.* Neque est, quod forte Senatorum aliquis regerat, indignum esse, et aequitati adversum, ut is, qui maiores honores gessit, ad minores descendere debeat. Quo et facit *L. 2. C. quemadm. civ. mun.* Praeterquam enim, quod Consuli ad obsequium, ipsi praestandum, iuraro se obstringant Senatores, nequaquam *d. l. 2.* praesidium ali-



quod iisdem afferre potest. Prohibet ista lex, maioribus honoribus functos ad minores devocari, quod Ius Canonicum etiam inculcat *in c. 1. X. de Translat. Episc. conf. PEREZ, ad tit. C. de Mun. et Hon. n. 12.* Neque illa Iuris dispositio ratione destituitur, praesertim, cum passim haec consuetudo invaluerit, ut ad superiores honorum gradus, non nisi per inferiores, ascendi soleat. Ast vero observandum est, dictam L. loqui de *maioribus et minoribus* honoribus, non item fertilioribus, aut sterilioribus. Dignitatis ratio, in partiendis officiis illis Senatoriis, haud occurrit. Vnus est honor Senatorius L. s. ff. *de Vac et Excus. mun.* Officia huius honoris varia.

LXXXI.

Succedit alius, idemque haud paulo nobilior, effectus, quem, sigillatim Zittaviae, primus inter Consules locus parit. Quamprimum enim quis in illa florentissima Civitate fasces Consulares, sibi traditos, accipit, statim Caesarei Palatii Comitum Privilegiis utitur. Originem ducit haec dignitas, ex speciali Potentiff. Regis Pol. et Elect. Sax. concessione, Vicario Imperatoris nomine, facta Dresenae d. 12. Sept. 1711. vi cuius, secundum tenorem Comitivae, Clementissime indultae, Tabelliones publicos, praevio examine consueto, creare potest. Quo loco et hoc notari meretur, quod praeter illud, Consuli Regenti, quem vocant, concessum Privilegium, totus Senatus, ex eadem concessione, Ius sibi egregium quaesierit, cuius virtute, nullum omnino Instrumentum Notarii, suae intra Iurisdictionis limites, confectum admittit, nisi a Zittano Palatii Comite f. Consule, ad clavum Reip. sedente, Notariatus iura et insignia acceperit. Concessionis tenorem exhibet *Dn. CARPZ, in Anal. Zittav. P. 2. c. 4. §. 1. p. 273.*

LXXXII.



LXXXII.

Spectato Iure, Senatibus Hexapolitanis, circa *Collationem* competente, nunc ad *Ademptionem* procedo. Tradunt alias Canonistae distinctionem, inter Praesentationem, Electionem, et Investituram s. Confirmationem; Quam ad Seculares dignitates, et praesens institutum, accommodasse, non abs re fuerit. Per *praesentationem* et *electionem* ad Senatoriam dignitatem designato, firmum aliquod ius nondum accrescit, sed demum Confirmatio s. plenaria *Collatio* stabile ius, ex istius dignitatis indole profluens, tribuit. Ex hac tota Officialis autoritas pendet. Ex quo consequitur, quod libere receptus et confirmatus, a solo Conferente, modo cum ignominia, modo salva existimatione, rursus dimitti possit. Cumque regulariter Senatui Oppidano Ius *Nominandi et Eligendi* tantum competat, ius *confirmandi* s. conferendi vero apud Principem resideat, hinc *adimendi* potestas huic soli tribuenda venit. Cuius rei exempla habentur in *Ill. BERGER. Supplem. ad El. Jurispr. Crim. P. I. Obs. 3. p. 9. et Oecon. Iur. p. 204.* Hexapolitanis tamen Senatibus, quibus ius, honores Senatorios *conferendi*, vindicatum est in superioribus, eadem facultas, vi Privilegii, Principe ita permittente, competit; Quam eveniente casu, ob iustam causam, libere exercere possunt.

LXXXIII.

De eo vero dispiciendum venit, quis ex ipso Senatus Collegio, tali casu, actum exclusionis expedire debeat? Audivimus supra, quod in *Collatione*, pro actuum diversitate, modo totus Senatus, modo certa solummodo membra, concurrant; Poterat igitur primo intuitu videri, quasi h.l. idem procedendi modus adhiberi deberet; At vero quis est, qui non ex nominationis



nationis et electionis natura perspiciat, hos actus Collationi proprios esse, neque ullo modo ad exclusionem applicari debere. Praeterea ipsam Collationem a toto Senatu absolvi, saepius inculcatum est; ideoque ademptionem ab eodem perfici, rationis est. *Add. L. 35. ff. de R. I. Sive deinceps Consul, sive Senator, officio suo exuendus sit.*

LXXXIV.

Suscipi solet haec dignitatis ademptio, de qua mihi in praesenti sermo est, non nisi ex causa, culpabili sc. s. delicto; Nam illa, quae sine causa, et, citra existimationis laesionem, quandoque fit, et *Dimissio* appellari solet, huius loci non est, de qua vid. *GISB. VOET. Polit. Eccl. P. 3. L. 4. A. 2. c. 12. §. 2. et Ill. BERGER. Oec. Iur. p. 203. seq.* De altera vero, quae ex capite delicti fit, paulo uberius, hoc loco, agendum erit. Est vero illa, vel temporaria, vel perpetua; Illam, speciali vocabulo, *Suspensionem*, hanc vero, *Remotionem*, vocamus. Suspendio dictari, primo, solet, ubi quis reus est gravioris Criminis, quod tamen nondum est ad liquidum perductum, *STRYK Disp. de Suspens. ab offic. c. 1. n. 55. et c. 5. n. 44. 48. f. ut alii loquuntur, ob inquisitionem. Ill. BERGER. Suppl. ad Iurispr. Crim. P. 1. p. 6. in f.* Cuius tamen rei fundamenta, magis ab usu et observantia, apud Saxones imprimis recepta, quam legibus scriptis, repetenda sunt; vid. *Dn. PRAESES in P. 3. O. 58. n. 3.* Alias enim, secundum Iuris Civilis principia, distinguendum esse videtur, an delictum circa officii administrationem commissum sit, nec ne; ut priori tantum, non item posteriori, casu, suspensioni, pendente accusatione, locus sit. *L. 17. §. 12. ff. ad Municip. MTL. ab Ehbrenb. in Hyparchol. c. 14. §. 9. n. 20. vid. L. f. C. de Acc. L. 3. C. de susp. tut.* Si Lusatiam nostram spectare velis, dicendum omnino est, hanc Saxonum mores sequi;



sequi; vid. *Corp. Iur. Lus. p. 460.* adeoque propter inquisitionem, super quocunque crimine, quamvis extra officium perpetrato, motam, indistincte suspensionem decerni. Qui procedendi modus plurimis, si opus foret, exemplis, probari posset, quae, ut existimationi et famae hominum parcam, studio nunc praetermitto.

LXXXV.

Praeterea ademptio temporaria fit quandoque in vindictam Criminis iam probati, *STRYK. c. l. s. in poenam; Ill. BERGER. Suppl. Jurispr. Crim. P. 1. p. 6.* et, speciali vocabulo, interdum *sequestratio ab officio* dicitur. *Conf. Aurel. 3. c. 1.* Huius quoque usum in Lusatia multo frequentissimum, recentiores inquisitiones passim commostrarunt; quibus finitis, Senatores, ex Senatus sententia, temporariae suspensionis poenam luerunt. Sed perpetua exclusio, h. e. *Remotio* omnem omnino, sine ulla spe recipiendi, dignitatis privationem, involvit. Neque hanc in Lusatia adeo infrequentem dixerim, quippe cuius pluscula mihi exempla in promptu sunt, quae lubens praetermitto.

LXXXVI.

Caeterum utraque in eo convenit, quod famam non possit non sugillare et laedere; vid. *GIB. VOET. c. l.* quod ab officio eiusque administratione arceat; *GIBALIN. de Censur. p. 318.* quod denique Salarium et omnia emolumenta adimat. *c. u. X. de privil. et excess. c. 4. X. de indic. c. 20. X. de V. S. vid. CARPZ. L. 3. Def. Eccl. us. n. 5. STRYK. c. l. c. 4. n. 33. seq.* Solet tamen, quod ultimum hunc effectum attinet, communiter suspensio excipi, quae fit ob inquisitionem, ex iudiciis remotioribus, quo casu, extraordinaria quidem honoraria s. Accidentia, ut vulgo audiunt, suspenso Dd. de-

G

negant,



negant, eundem autem fixo, quod vocant, salario privari, durum existimant, tum imprimis, cum reus in mora non est, quo minus se, quam fieri potest, citissime, ab indicibus purget, suamque innocentiam ostendat. *MEV. P. 8. D. 144. seq. STRYK. c. l. n. 29.* ubi plures in hanc sententiam citat. Et hunc in modum Collegium Iurid. Viteb. anno 1686. a G. L. de iure consultum respondisse, refert *Ill. BERGER. Suppl. ad El. Iurispr. Crim. P. 1. p. 8.* Verum, hanc eandem exceptionem varie limitant, ut eam fere in nihilum redigant. Ipsi v. g. suspensum, ob inquisitionem, salario privant eo casu, ubi suspensio facta ex indicibus gravioribus, aut, si ex remotioribus quidem, sed vel adit res iudicata, vel reus deinceps condemnetur. Sane rariores, puto, hodie imprimis, casus erunt, ubi non ex his limitationibus una locum habere possit; Nam, vel pars suspensionem urgens, vel iudex ipse suspendens hodie semper prospicere solet, ne suspensio, per tempus inquisitionis, salarium solvatur; Et, si res illius arbitrio relinquatur, indicia semper pro gravioribus habebit; praesertim, cum inquisitio plerumque, ex praevia Collegii alicuius Iuridici sententia, ob indicia non levia, decerni solet.

LXXXVI.

Quamobrem mihi *Dn. PRAESID.* sententia arripet, quam *in P. 3. Obs. 58. n. 3.* proponit; quod nempe, nullo casuum discrimine, suspensus ob inquisitionem, ea pendente, et salario, et commodis aliis, carere debeat. Idque eo magis, quo minus praeiudicium hic in inquisitum redundat; Ex eventu enim causae principalis, dependet vis suspensionis, ab officio, et salario; Purgatis indicibus, ipso iure cessat; *vid. ROL. a VALL. Vol. 2. Cons. 6.*



*Conf. 6. n. 35.* Quo fit, ut recuperandae possessionis remedia suspensio competant, c. 7. X. de restit. spol. quae omnis causae, s. fructuum interceptorum, h. l. salarii, restitutionem simul continent. Delicto autem probato, condemnatoria sententia fertur, quae, respectu suspensionis, declaratoria, non privatoria, esse, censeri debet. Ex quo eveniat, necesse est, ut nec salarium, a suspensionis momento, praestari debeat. Hoc enim propter officium datur, L. 52. §. 1. C. de Episc. et Cler. L. f. C. de rest. mil. MENOCH. A. Q. 329. n. 1. quo, si quis ex propria culpa non perfungatur, iniquum est, fructu eisdem, h. e. salario, ipsum frui. Caeteris obiectionibus forte opponi posset Brocardicum: Quod reatus, generaliter sumtus, omne beneficium excludat. Verum haec obiter.

LXXXVIII.

Vidimus hactenus ademptionis species. Nunc ad causas progredior, ex quibus Senator suo munere privari potest. Siftuntur h. l. generales s. communes, et speciales s. singulares. Ex generalibus occurrit inprimis Infamia. L. 8. C. L. 6. §. 3. ff. de Decur. Quam variis modis inuri, constat; de quibus vid. t. t. ff. de his, qui not. inf. Huc refero quoque delicta, quae circa officium committuntur, inprimis loquacitatem et negligentiam. Cum enim taciturnitas et sedula industria sint optima atque tutissima rerum administrandarum vincula, aliter evenire nequit, quam, ut Senatus Consiliis evulgatis, aut negotiis negligenter tractatis, ipsa administratio, et huic cohaerens dignitas, a suo subiecto abeat. vid. ZAS. P. 10. n. 30. Sic ipse casus recorder, quo negligentia Senatoris, circa officium, in Diaetis aliisque



Conventibus, gerendum, admissa, suspensionis poena coercita fuit.

LXXXIX.

Praeterea huc pertinet *Ineptitudo*, propter quam quis, officio Senatorio admotus, iterum dimitti, imo quandoque extra ordinem puniri, videtur posse. *vid. BRVNNEM. ad L. 1. C. si serv. aut libert. Dec. n. 3. ibique cit. MENOCH. A. Q. C. 5. qu. 402.* At vero, cum Senatus Hexapolitani, hoc nostro seculo, eruditus, et ad gerendas res idoneis viris, semper fere abundare soleant, atque in legendis Senatoribus magna circumspectione utantur, casum vix dari, puto, quo quis ex hac causa Senatu motus fuerit.

XC.

Sistuntur demum causae speciales s. singulares, quae ex cuiusque Senatus Ordinationibus hauriri debent. Has autem, in Archivorum scriniis sancte repositas, inspiciendi, licentiam expetere, hominis, foret, insigniter impudentis, et intempestive curiosi. Hinc neminem sinistre interpretaturum, spero, quod ademptionum causas generatim, hoc loco, adduxerim, nec speciatim recensuerim. Sed vero Statuta, quae omnibus nosse permissum, Budissinensia subministrant aliquam, quam hic commemorari, non abs re fuerit. Disponunt ea in *P. 2. t. 3.* verbis supra relatis, ne quis ad Senatoriam dignitatem evector coram Senatu, eiusve Praetorio, causas peroret; Quod si itaque contingat, Senatorem iura Clientum coram Senatu Budissinensi tueri, dubium non foret, quin, ex hac speciali Statuti illius dispositione, eidem, si ab incepto non deflatur, poena remotionis dictari possit.

XCI.



XCI.

Hactenus de primo modo, quo, ius circa honores Senatorios, Senatibus generatim, speciatimque Hexapolitanis, competens conservatur, *Vsu* scilicet, egi. Iam ad alterum accedo, nempe illius *Vindicationem*. Evenit enim fere quotidie, ut homines, temere litigantes, aut male feriat, ius, alicui legitime quaesitum, in controversiam vocent; Quorum vel malitiae, vel temeritati, ut occurri possit, certa remedia Legibus sunt introducta, quibus, quod cuique debetur, persequi liceat; Haec autem persecutio, pro varietate obiecti, circa quod versatur, et ipsa varia esse intelligitur. Agitur autem vel de ipso iure, vel de eius quasi possessione: Hoc casu, Possessoriis, illo, Petitoriis remediis, experiendum est. De utrisque videbimus, quatenus ad praefens, de quo laboro, ius, circa Senatorios honores, accommodari queunt.

XCII.

Huius, ut cuiusque alius, iuris *quasi possessio* utilibus interdictis, *L. f. ff. uti possid. L. f. ff. de Servit. L. 8. §. 5. ff. si servit. vind. CARPZ. P. 2. C. 7. d. u.* quae ad eam, vel acquirendam, vel retinendam, *L. u. s. 1. ff. uti possid. §. 4. f. de Interd. vel recuperandam, tendunt, c. redintegr. 3. c. 3. qu. 1.* vindicatur. Ipsa vero iuris *proprietas* per Conditionem ex privilegio petitur. *BACHOV. Disp. 23. tb. 1. l. A. B.* Equidem obstare videtur *§. 15. l. de Action. L. 25. de O. et A.* ubi solae in personam actiones dicuntur Conditiones; cum tamen hoc Senatum ius fit in eorum patrimonio, adeoque reales effectus producat, et contra quemvis turbatorem asseri possit.



XCIII.

Enimvero Imperator in citato §. ad observanti-  
am tantum, et modum loquendi, eo tempore recep-  
tum, respicit, dum reales actiones, speciali nomine, *Vin-*  
*dicationes*; personales autem, *Conditiones*, nominari affe-  
rit; non, quod hoc conditionis nomen in rem iudicii  
accommodari nequeat; Id quod satis, opinor, innunt  
verba subsequencia: *nunc vero abusive dicimus*. Quippe,  
tenendum est, stilo Romanorum veteri, omnes actiones,  
sive in rem fuissent, sive in personam, *Conditiones*  
appellatas fuisse; Ideo, quod, *Theoph. teste ad h. §.* liti-  
gaturis solenne esset, ut is, qui contra alterum iudicio  
experiri cuperet, adversario suo denunciaret, ut hoc,  
vel illo, die in iudicio adesset, et vadimonium obiret; ad-  
versarius itidem, se affuturum, sponderet. Qui actus  
*Conditionis* nomine venire solebat. *VINN. ad §. 15. I. de*  
*Action.*

XCIV.

Posteaquam vero iudicia realia, a solennitatibus,  
in eo conditionis genere peragendis, speciale *Vindi-*  
*cationum* nomen retulerunt, fieri non potuit, quin per-  
sonales actiones, in quibus nullus solennitatibus istis locus  
erat, nomen generis sui, velut sibi proprium, retinerent.  
Qua ratione eveniebat, ut deinceps omnes actiones  
reales dicerentur *Vindicationes*, et omnes actiones perso-  
nales *Conditiones* audirent, *vid. HOTOMANN. ad. h. §.*; qua-  
rum utraeque certas sub se continent species, specialibus  
nominibus insignitas.

XCIV.

Quia vero interdum contingit, ut facultas agen-  
di, lege quidem detur, sed genus actionis, quo experi-  
undum sit, non exprimat; inde tales actiones eodem  
gene-



generali, Conditionum, nomine veniunt. Neque interest, reales illae sint, vid. *L. 30. C. de Iure Dot. L. f. §. 1. C. de hered. petit. L. f. §. 6. de Iure Delib. L. 30. L. 35. C. de inoffic. testam. vid. SCHILTER. Exerc. 1. th. 6.* an vero in personam conceptae, ut videre est in *L. 35. de Donat. L. 2. C. de Resc. Vend. vid. plura exempla in BRVNNEM. ad tit. de Condict. ex L. Quocirca liquet, petitoriam actionem, quae intuitu iuris, in quo versamur, competit, Conditionis verbo, commode appellari posse. Neque alterum, Privilegii, vocabulum difficultatem aliquam afferre potest; cum in vulgus notum sit, privilegium nihil aliud, quam legem aliquam novam specialem arque singularem, esse, *L. 16. de LL. L. 1. ff. de Const. Princ.* ut hinc nihil intersit, five Privilegii, five Legis, vocabulo utaris.*

XCVI.

Dubium movere poterat regula, cum ab aliis vulgo, tum et HOPPIO tradita, in usu hodie. *Comment. ad §. 2. I. de Act. p. 818.* Quod toties actione confessoria experiendum sit, quoties quis se fundat in iure aliquo singulari s. privilegio; Quae, hac imprimis ratione, defenditur, quod Privilegium sit ius aliquod, iura vero, ad similitudinem servitutum, hac confessoria, ratione obiecti, utili afferantur, et vindicentur. vid. *III. BERGER. Oecon. Jur. p. 327. ECKOLT. ad t. ff. si usus fr. pet. STRUV. et Dd. ad tit. ff. si servit vind.*

XCVII.

Enimvero mihi, hoc loco, distingvenda esse videntur iura communia a singularibus, ut loquuntur, vid. *CALVIN. Lex. Jur. voc. Privilegium.* h. e. iura ex pactis, ipsi iuri communi non adverfantibus, sed eodem iniri licitis, acquisita; vid. *L. 38. ff. de Pact.* et iura, quae a LL. communibus, recedunt, et ex Privilegiis Principum com-



competunt; vid. *L. 2. §. 21. C. de V. I. E.* Si quis sibi ius aliquod commune, in alieno fundo, *SCHOEFFFER ad tit. ff. de serv. vind. s. f.* legitime acquisitum asserat, dubium non est, quin, propter istius iuris cum servitutibus, analogiam, confessoria utili experiri queat; Atque de his iuribus, *Berechtigkeiten*/quæ iure communi concedi et acquiri possunt, vid. *L. 38. de pact.* regulariter intelligendi sunt Dd, quando iura vindicaturæ actionem confessoriam utilem concedunt.

XCVIII.

Si quis vero, ex iure aliquo singulari, experiri velit, non puto, confessoriae actioni commode locum esse. Haec enim descendit ex constituta servitute; *L. 5. pr. si usus fr. pet.* Servitutis autem constitutio est negotium aliquod privatum, s. iure communi licitum; igitur ex converso, cuius iuris constitutio non est licita iure communi, (*sed singulari,*) illa nec effectus iuris communis producere potest; Atqui vero solius Principis est, contra leges sancire, arg. *§. 11. I. de I. N. G. et C. L. 2. §. 21. C. de V. I. E.* et singularia iura concedere; Vnde sua sponte fluit, quod actio confessoria hic sibi locum vindicare nequeat, sed potius ex isto iure, s. lege singulari, descendat condictio.

XCIX.

Sic tandem Iuris, circa honores Senatorios, Senatibus in genere, speciatimque Hexapolitanis, competentis, *Constitutionem* et *Conservationem* absolvi; Restabat, ut *Amissonis* modos subiungerem. Cum vero in hac parte nihil, praeter Iuris Communis dispositionem, occurrat, hoc loco subsisto, et levidensi huic Dissertationi impono finem.

S. D. G.



Wittenberg, Diss., 1776

X-230 9006

ULB Halle

005 708 532


3











23  
31

SPICIFIS  
 GNIFICENTISSIMI  
 NCIPIS REGII, DOMINI

**ICI AVGVSTI**  
 SAX. HERED.  
 NEM IVRIDICAM  
 DE

**R E**

IRCA  
**SENATORIOS,**  
**TIBVS**  
 SPECIATIMQVE  
**OLITANIS**  
 PETENTE,  
 AE SIDE  
**RE WERNHERO, D.**  
 I ET ELECTORI SAX. A CONSIL. AV-  
 P. P. CVR. PROV. CONSIST. ECCL.  
 CVLTAT. IVRID. ASSESSORE,  
**A VITEBERGENSI**  
 EMBR. MDCCXVI.  
 ORIO ICTORVM,  
 TILATIONI SVBIICIET  
 -RESPONDENS,  
**VILELM. LIMMER,**  
 AV. HEXAPOL.

TEMBERGAE,  
 MVVELIS CREV SIGII

xlii

ZVHALIE

